





THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM

VOL. II.

THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM,

IN QUO CONTINENTUR

EFFIGIES VIRORUM AC FOEMINARUM ILLUSTRIUM,
Quibus in Græcis aut Latinis monumentis aliqua memoriæ pars datur, & in quocunque Orbis Terrarum ſpatio ob hiſtoriam, vel res geſtas, vel inventa, vel locis nomina data, ac doctrinam meruerunt cognoſci;

ITEM VARIARUM REGIONUM MIRANDA,
Quæ celebrata apud antiquos ſaxiſque & ære expreſſa occurrunt, omnia ex veris ſinceriſque documentis petita, & pro ſerie temporum diſpoſita;

ADJECTA BREVI DESCRIPTIONE SINGULORUM,
Quæ aut in eorum vita aut in horum proprietate ſpectabilia percipi & intelligi refert; ubi variis occaſionibus nummi, lapides, inſcriptiones, etiam auctorum loca explicantur & emendantur.

VOLUMEN SECUNDUM

Memorabilia primorum veræ Hiſtoriæ ſæculorum complectens

AUCTORE

JACOBO GRONOVIO.



VENETIIS,
Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXXII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISS. SENATUS.

PRÆFATIO.



NISI ſcirem tibi, quiſquis ſpectatum accedis, cognitum ſatis eſſe, cui labori partem hujus temporis mei dederim, non cunctarer rurſus verba ad te facere tanto libentius, quo propius ad exitum bona iterum exantlata parte accedo. Verum & omnia aperui, nec progreſſa opera quidquam mutavi. Eodem tenore congerere ac per tempora, loca, homines, diviſa antiquitatis quædam ſæcula cognoſcenda vel magis conſpicienda præbere, atque ideo facinora interdum vel regionum huc pertinentium monumenta deſcribere perrexi. In quibus non profero, niſi quæ mea ſunt. Nam vitas ſingulorum ſcribere, hoc eſt, retexere, quæ millies evomuerunt alii, non eſt ratio mea; & ab eo tantopere abſum, ut puras relinquere paginarum partes ſatius duxerim, quam talibus neniis aut me aut tempus aut chartam fatigare; tibique, mi lector, ſuadeo, ut eas ex puris & genuinis fontibus petas. Sed neque id animo habui. Ut vere oculis noſtris ſpectarentur, quæ ab antiquis in hoc genere prodita ad ætatem noſtram perennarunt, manerentque inviolata & illæſa, & hinc aliquid diſceremus antea incognitum, id eſt inſtitutum meum, idque adjuvare tento. Quid quæſo triſtius & indignius eſt hoc ſæculo Thaletas tam audaci & improba fronte ita venditari ſimileſque? Neque tamen adeo aride vultus contemplor, ut non facta quædam, etſi pauca, utique tamen unica admirationem merita & totum virum ſola non minus oſtentantia, quam leonem unguis, duntaxat delibem; interdum quoque largius tangam. Sed etiam in his opem nonnunquam ab aliis haurire & potui & debui. Neque enim hæc congeries ſine Fulvio, Caninio, Cauſſeo, Sponio, aliiſque horum æmulis commode coiviſſet. Iſti & labore & ætate præceſſerant. Ut ſimilis labor in his regionibus exſtaret, nequiverunt contemni, quum conferrent bene magnam ſymbolam. Sed ubi ab illis opem petivi, pariter grate profiteri non omiſi; quæ mihi relicta erant, quam potui cauto judicio adgreſſus annexui & pro viribus explicare conatus ſui. Famam mihi ſpero ipſam & Homerum & Columnam Rhegiam & univerſam hujus operis continentiam fore teſtem. Nec vitio vertas non Italica tantum, ſed & Romana referri ad antiquitates Græcas. Aliter non potuiſſet labor illa per ſæcula conſummatus ire, & in quarumcunque terrarum vultibus utique apparet manus Græcæ artificium. Hoc ad illa corripienda judicavi ſufficere. Quid enim opus eſt tangere, quod res ipſa patefacit? Principia hujus voluminis indicavit exitus prioris: terminum quoque ejus juſto

modo ſacratum deprehendes. Neque enim valuit ille oportuniore metatione defigi , nec diviſio commodior inſtitui , niſi ut is non deſcenderet nec ad viciniora nobis procurreret trans ætatem Magni Alexandri. Immo hæc epocha ut poſt Trojam conſpectiſſima metam huic ſpatio monſtrare debuit . Sed ſatis belle ita cecidit , ut eorum quæ ex illis ſæculis in hanc notitiam veniunt, numerus probo calculo centuriam expleret . Hinc colligis, quam finis ille quem monſtravi, ſit ex ipſo volumine natus , non a me deſtinatus, decentior dubium ad hanc formam, an ad præcedentis partis convenientiam & ſimilitudinem. De eo autem plane non ſatago ; utinam modo fructum quem cupio afferre ſtudiis queat , & tam jucunde alios delectet contemplatio , quam mihi ſuavis fuit vel colligendi vel interpretandi cura! Hoc voveo & finio.



ORDO IMAGINUM
HUJUS VOLUMINIS.

1. FAMA.
2. FMENSIS.
3. FULYSSES.
4. NAUPLIUS.
5. NAUSICAA.
6. CIRCE.
7. SIRENES.
8. LEANDER.
9. HERO.
10. CODRUS.
11. MARO.
12. PERGAMUS JUNIOR.
13. ARETHUSA.
14. ALPHEUS.
15. CRYSAS.
16. ACRAGAS.
17. PATREUS.
18. HOMERUS.
19. IDEM.
20. IDEM.
21. IDEM.
22. HESIODUS.
23. DIDO.
24. CARANUS.
25. FAUSTULUS.
26. ROMULUS.
27. AMPHINOMUS ET ANAPIAS.
28. EGERIA.
29. BYZAS.
30. THALES.
31. SOLON.
32. PITTACUS.
33. ALCÆUS.
34. SAPPHO.
35. ANACHARSIS.
36. BATTUS.
37. PHERECYDES.
38. STESICHORUS.
39. ATTUS NAVIUS.
40. PYTHAGORAS.
41. ANACREON.
42. SIBYLLA.
43. ——— CUMANA.
44. ——— MANLIA.
45. ——— PHRYGIA.
46. MALCHUS.
47. CHARONDAS.
48. ZALEUCUS.
49. ARCHYTAS.
50. MILO.
51. COLUMNA RHEGIA.
52. L. JUNIUS BRUTUS.
53. MUTIUS SCÆVOLA.
54. MILTIADES.
55. CYNÆGIRUS
56. HERACLITUS.
57. DEMOCRITUS.
58. HIPPOCRATES.
59. THEMISTOCLES.
60. PINDARUS.
61. CIMON.
62. SOPHOCLES.
63. EURIPIDES.
64. ZENO ELEATES.
65. ATHENARUM ET HERACLEÆ CONCORDIA.
66. SOCRATES.
67. ALCIBIADES.
68. ARISTOPHANES.
69. LYSIAS.
70. CRATEUAS.
71. HERODOTUS.
72. THUCYDIDES.
73. MOSCHION.
74. LEODAMAS.
75. ARISTOMACHUS.



FAMA.


FAMA
capite alato.

F A M A.



T ſic pars prior pro temporum lapſu & ordine aggeravit illa, ad quæ meditanda & proferenda tacentes antea Muſas excitavit cithara ſua Apollo. Sic enim rem natam eſſe Horatio [1] auctore diſcimus & id quidem non illepide. Propterea feſtis verbis illam ſalutantes, ac Muſarum, ut ſic loquar, ſæculis poſthac valere dicturi, & ſemper iſta poſt tergum relicturi ſecedamus inde in hac clauſula, veriſſima certe: ΜΟΥΣΑΩΝ ΟΔΕ ΜΥΘΟΣ [2]. Aliud nunc templum ingredior veſtigaturus, quid ætas, vetuſtatem illam Græciæ primam & compoſitis fabulis non ſane claram ſatis ſequens, in donariis ac tabulis bonæ fidei illic ſuſpenſum ſervet, ac hos oculos queat reficere. Neque enim poeticas Muſas jam ſectari licet modulationis cantu ſonoras non bene liquido (qui quantum diſtat ab incognito?) verum Famam, vocaliſſimam iſtam & ſimplici planoque ſermone, capita, locaque & res geſtas narrando populos ac ſæcula elapſis proxima replentem. Eſt quidem ita, ut unuſquiſque ſibi ſit fama, nec dubitavit ſcribere Silius

Hic & fama vetus nunquam moritura per ævum
Curtius. — —


Attamen peculiarem eam agnoverunt antiqui: hanc poetæ particulatim deſcripſerunt. Itaque etiam in urbe eadem, unde ſtudia noſtra & humanitas proceſſit, Athenis potuit mereri non modo aram, ſed & ſacrificii celebritatem; nec modo appellationem Deæ, ſed maximæ Dearum [3], tum ex aliis cauſis, tum notabiliter ex negotio, quod pro divino agnoſcendum conſenſerunt, audita Athenis eodem die, quo acciderat, victoria Græcorum ad Mycalen de Perſis. Ab iſto tempore credita non in verbo ac ſolo nomine, ſed in re & opere eſſe. Et quidni? quum & Spei filiam eſſe nonnulli [4] dixerint. Itaque quum hoc agerem, ut ſic agnitam ab antiquis, ſic deſcriptam, ſic cultam circumſpicerem, an & corpus ac ſpeciem alicubi reperire poſſem; vidi Harduinum ſcribere ex Antonini Pii nummo ΑΡΓΙΑΙΩΝ in collectaneis Pyrrhi Ligorii ſpectari famam alatam, pedibus etiam alatis, tubam inflare. Mirum niſi ſub hac figura ac deſcriptione aliud quid lateat, quodque ad Sirenis ſimilitudinem pertineat. Quis enim antiquæ Famæ tubam attribuit? Quare ad hujus templi, quod meliori tempori conſecratum eo, propy-

1. Lib. I. ode x.
2. Apollon. Rhod. lib. IV. verſ. 1381.
3. Μεγίστης θεῶν apud Æſchinem in Timarch.
4. Sophocles in Oedip. Tyr. 162. χρυσέας τέκνον ἐλπίδος ἄμβροτε φάμα.

læum jufte riteque exornandum gratulari cenfui benignæ ubertati gazæ Brandenburgicæ, unde fic adjutum me effe reor, ut compos hujus propofiti fierem. Ejus enim effufa in commune noftrum liberalitas fuggeffit hoc caput nequaquam Orithyiæ Amazonis, aut Mufæ, (quæ quidquid etiam illic concurfetur, nec dicitur ufpiam in capite geffiffe alas, & quum alas fumpfit ob vim Pyrenei, pofuit eas fueto loco) fed Famæ. Hæc enim utpote loquelis fpargendis accipiendifque unice deftinata, inftrumentis modo ac membris in capite inveniendis utitur, quorum fumma eft, ut poffit *multiplici populos fermone replere*, prout determinat divinus vates, etiam pedes & plumatum corpus in ea confiderans, fed quod utrumque illi relinquimus. *Volare & loqui* proprium Famæ eft, idque in ea ab primis inventoribus indigitatum fuit, prius quidem Herodoteo [1] fpecimine pofteris fignificante, pofterius autem ubique obvium jactantibus antiquis monumentis. Itaque quum in hoc capite fint ea, quæ ad Famam requiri debent, evolare illam & ore ad faufta hujus voluminis aufpicia uti voveo. Eft quidem fimile caput in gente Julia Burfionum, & in Goltzii Magna Græcia Metapontinorum; fed quum id præterea vel fit laureatum vel diadematum, hoc fimplicius præferendum cenfui.

1. Libro IX. cap. 99. Ἰοῦσι δέ σφι φήμη τε ἐσέπτατο ἐς τὸ στρατόπεδον πᾶν, καὶ κηρυκήιον ἐφάνη ἐπὶ τῆς κυματωγῆς κείμενον.


MENSIS COL CAES ANTIOCH


MENSIS
singulari honore cultus Antiochiae

MENSIS.



JAM olim quidem iſta temporis diſtinctio erat nota, & tum Minervæ proventum ſignabant tertio lunæ die, quam Graii noſtri TRITOMHNIΔA dicebant, tum Apollinem ſeptimo, Dianam ſexto ejuſdem die genita numina celebrabant. Sed & Herculem quarta luna genitum audierant & tantum non quotidie iterabant. Sed quum is tunc ab luna, prout ex loquutione apparet, dependeret, cujus etiam nomine continebatur: ad hæc ſæcula reſervari a me Menſis debuit, quæ ſola eum, quod ſcio, ſuppeditant, & quidem memorabili viſu, prout ex Antiochia Piſidica eum produxit excellens nuper in verſanda hac moneta Patinus, idque ſub nomine Aſcæi, ut Strabonis indicio conſtat, ſatis digno, quod animadvertatur hic collocatum. Melius fuiſſet ac maluiſſem ex Europæ ſenſu ac reliquiis eum conſectari. Etiam notum eſt ſingulorum menſium habitus vel ænigmata in Calendario Cæſareo Viennenſi exhiberi. Sed notabilia admodum indicia ad hunc oculos meos converterunt. Ne enim dicam de Phrygio pileo & luna illuſtrante humeros collumque, etiam Victoria coronante, gallus gallinaceus a nobis adſpiciendus venit, quippe proprie menſem ſignificans, & non Januario ſoli comes apponendus, ut fit in iſto, quod citavi, calendario, ſed omnibus omnino reliquis. Cl. Patinus ex loco Æliani notat eum Latonæ in deliciis fuiſſe, quod ei parturienti adfuerit, & quod etiam nunc parturientibus adſit, eiſque faciles partus efficiat. Id tantopere placuit Vaillantio, ut etiam nummo iſto ter exhibito ſub Antonino Pio, Severo & Caracalla (quorum prior ille in grandiorem formam converſus eſt, duos minores appoſitos ob minutam differentiam hic vides) in Severiano annotet *libro* 5.




de Var. hiſt. quum locus ille ſit petitus ex libro IV. de animalibus cap. 29. At nihil ea narratiuncula ad menſis formam confert. Immo unice id menſi appoſitum ornamentum illuſtrat Jamblichus libro [1] de vita Pythagoræ cap. 18. ubi inter philoſophi monita prodit quoque fuiſſe, ut prohiberet gallum gallinaceum præcipue al-

1 Μηδὲ ἀλεκτρυόνα λευκὸν διώκειν. ἱκέτης γὰρ ἱερὸς τοῦ μηνός· διὸ καὶ σημαίνουσιν ὥρας.

bum perſequi: quipe qui ageret menſis ſacrum ſupplicem. Itaque & hunc albo colore ſtetiſſe in templo Antiochiæ ſupponimus. Quæ eadem cauſa eſt, ut menſi Januario, principi ſcilicet reliquorum menſium in calendario, cujus memini, attributus exſtet. Itaque ſpectes licet Menſem, qualem Ovidius ſcribit ſtetiſſe in regia Solis, eumque ſtipaviſſe utrimque cum Die & Anno & Sæculis & Horis, tunc quum illuc eſcenderet Phaethon, ut conſtet me ſcire, quod primum dixi, jam antea notum menſem fuiſſe.




VLYSSES
ab cane agnitus poſt decennii abſentiam

U L Y S S E S.




S IC converſo tempore, Græcorum ad Trojam caſtra navalia deſerere, & cum reliquiis redire in patriam oportet, in quibus præcipue & unice ſalutandum ſe offert magnum decus ſuorum & conſilium Ulyſſes, ſpectator omnium nec minus grate omnibus ſpectatus. Qui bipater, & ut creditum, Siſyphi perinde ac Laertæ opus ex matre Anticlia, & ante bellum & in ipſa expeditione dederat incredibilia ſapientiæ ſimul & aſtutiæ experimenta, adeo ut vix quidquam famæ memorandum effecerint Græci, quod non maxime & pluſquam pro virili promovit ac profligavit iſte. Unde fortaſſe quis judicet potius vel in primo apparatu vel certe in ipſa Troja debuiſſe hanc magnam & venerabilem imaginem produci. Sed non juvant nos bella; mores hominum cognoſcentem terraſque & aperientem ultra quam ætatibus præteritis contigerat, verius ſequimur; præſertim quum quæ relicta nobis eſt ſimilitudo ejus, Ulyſſen non apparantem bella, non productum ab Palamede, non armatum, ſed ne quidem navigantem exhibeat; verum exhauſtis longinquis erroribus non poetica modo narratione indicatis, ſed probabilium monumentorum fide roboratis, qualis mendicantis imitatu & erronis defectas vires baculo ſuſtinentis venit ad ſuos. Nec tamen petimus Ithacam. Ripa Rheni nobis grata eſt, ubi ſitum Aſciburgium ſuo etiam tempore incoli teſtatur Tacitus [1], & quæ res noſtra eſt, ab hoc Ulyſſe *conſtitutum nominatumque acriniprion*, ut quidem fideli ſtudio ex MS^to annotat B. Rhenanus. Et quæſo quam ſudant viri docti? ita quidem ut poſt conjecturas bona fide incertiſſimas denique ex editionibus totam eam vocem expellant, ferme conſenſu, quaſi id liceat. Quod qui permittunt, quid vident in illo Aſciburgio, quo præſentia Ulyſſis per iſta loca innuatur? Utique nihil niſi aliquid Græci in ea voce reſidet a quolibet Græco forſan illuc devectum, non Ulyſſe. Innuit autem Tacitus memoriam Ulyſſis ibi conſecratam eſse tum in ipſius nomine, tum in patris, tum etiam in avi, quam primo nunc ponit. Itaque hæc Ulyſſis memoria jubet, ut reddamus & ipſi & Tacito verum *Arciſiprion*. Ea Græca vox eſt, eam literæ ipſæ ſuppeditant, ea in avi nomine cuſtodit Ulyſſis tranſitum. ΑΡΚΗΣΙΟΥ ΠΡΙΩΝ, prout ex Polybio l. 1. cap. 85. in Africa ſic locum novimus, & alium in Aſia minore prope Sardes [2], (neque enim libet ambigere exemplo Caſauboni ad Strabonis librum XIV) ut

 dignus

1. De moribus German. cap. 3. *Ulixem quidam opinantur longo illo & fabuloſo errore in hunc Oceanum delatum, adiiſſe Germaniæ terras, Aſciburgiumque, quod in ripa Rheni ſitum hodieque incolitur, ab illo conſtitutum nominatumque: aram quin etiam Ulixi conſecratam, adjecto Laertæ patris nomine, eodem loco olim repertam.*

2. Et hæc duo loca notata ſunt. Sed egregie in libro Judith III. 9. Καὶ ἦλθε κατὰ πρόσωπον Εσδρηλὼν πλησίον τῆς Δωταίας, ἥ ἐστιν ἀπέναντι τοῦ πρίονος τοῦ μεγάλου τῆς Ἰουδαίας.

dignus ſit, qui in Europa etiam audiat. Hujus vero effigiei vel ſtatuæ lineamenta duxi ex nummo gentis Mamiliæ, ab omnibus plane tractato & inſpecto, ab multis etiam edito, ſed in quo ſicuti reliquorum, ita vel maxime deſideravi curam ac diligentiam Fulvii Urſini perinde ac Patini, ita caput hoc referentium, quaſi nulla nota fuiſset Ulyſses agnoſcendus. Sed quum & ipſe quatuor exemplaria ejuſdem nummi poſſiderem, reliquos nonnihil detritos, quartum egregie integrum, ex hoc manifeſte Græcam faciem ac crebra lanugine obductam agnovi, qualem non dubito quondam conſpectam fuiſse ab Hieronymo in Ulyſseo, ut vocat, & notatum fuit Steph. Pigio ad annum DCXIV. tum ab Hier. Aleandro ad tabulam Heliacam, tum ab Henr. Valeſio ad Ammianum Marcellinum. Cætera cui non notus Ulyſses?



N. AUPLIUS.

Palamedis Filii Ultor.

NAUPLIUS.



UM Ulyſſe ergo ſequimur etiam redeuntem in terras ſuas claſſem Agamemnonis plenam ſpoliis Trojanis, ſed pleniorem gloria, tantopere ac tamdiu Græciæ exſpectatam. In quo reditu nihil memorabilius ei contigit, quam quod prope Eubœæ Cœla, & ejus promontorium Capharea in exitiabilem naufragii peſtem incidit, ventis quidem (nam & illi pepulerunt in ſcopulos) ſed magis aſtu regis Nauplii, qui fletum & clamoſa naufragorum vota audiens, quo perditos perderet magis, facem inde dicitur extuliſſe, ubi periculoſiora adhuc erant brevia. Narratio eſt notiſſima. Ad hanc formam inſiſtit ipſe monti, innitens ſiniſtra columnæ, capillos ventis jactantibus in eam partem, quo flammam quoque deferunt. Itaque quum nummum ab Buthrotiis cuſum explicare nequiret Nonnius, tantum ſcribens *quidam monti inſiſtens, una manu columnæ innititur, altera facem geſtat*, Harduinus etiam negligeret; aſſiduus in hoc genere vir nuper in ſpicilegio antiquitatis Nauplium ſane probabiliter propoſuit, tum ex ipſo ſtatu, tum quia Helenus admonitu ſuo Pyrrhum eripiens communi Græcorum ſtragi meruit Buthroti regnum. Hoc pacto *regnataque vati Buthrotos Phrygio* potuit memoriam Nauplii ad gloriam ejus ſervaviſſe, quibus alia non inamœna addi quiſque videre poteſt. Itaque eo nomine hunc ignigerum hoc ordine collocavi. Sed dubitare cogor, quia & Higinus & Auſonius & Servius illic allegati diſtincte facem vel faculam notant, ΦΑΝΟΝ Scholiaſtes Lycophronis, quum ipſe ΛΑΜΠΤΗΡΑ, quæ utraque vox largæ ſignificationis illam quoque, ut notum, admiſit. Itaque licet in hac ſtatua vir ille doctus etiam agnoſcat habitum figuræ præferentis facem, utique non eſt fax, ſed olla vel teſta, ex qua ignis ejicit flammam; prorſus qualis apponitur Nymphis in nummo Apolloniatarum, qualis in nummo ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ apud Parutam tabul. 36. quem mox adjectum vides. Tum neque



Heleni nummus hic eſt, ſed Buthrotiorum ſub Auliſco, qui de Nauplio & Heleni monitu vix ſomniaſſe videntur, nedum ut conceperint regem hac ratione ignes gerentem, quod fieri vix potuit.

tuit. Præterea cur fingetur Nauplius ſic nudus huc aſcendiſſe, præſertim tantis commotis ventis? Certe ita quoque Lynceum informare poſſemus, qui ex quinquaginta fratribus unus ſuperſtes [1] ex Lyrcea urbe, quum eſſet ſervatus, ignem levavit, ut ſcribit Pauſanias libro II. eaque hiſtoria tam potuit placuiſſe monetario Buthrotiorum, quam facile Nauplius ex Eubœa illuc transfertur. Utique Lycophroni dicitur vigili adſidens fraudi [2]. Ne dicam hunc eſſe & fingi juvenem ac glabrum. Omnino ſtatua videtur inſtar phari poſita in Acroceranniis ſcopulis, qui infames audiebant, & quibus vicina admodum erat urbs Buthrotus, ubi requirebatur ideo hujuſmodi ſpecula, quia erat breviſſimus inter Italiam & Epirum trajectus: & forſan hic par fabula concipi poſſet fuiſſe, qualis in Helleſponti anguſtiis de Leandro & Hero narratur. Sed melius eſt adhærere vero. Nempe quum in montibus illis Cerauniis non eſſet portus, ſed quieta ſtatio, prout eam appellat Cæſar eandem nactus, eam Buthrotii videntur hoc ſigno denotaviſſe, ut ſerviret nautis. Itaque non in Goltziano tantum nummo ea effigies exſtat; ſed etiam ut ſuſpicor in nummo theſauri Regii, quem edidit Vaillantius tom.I. pag.19. ubi ille militem facit, ac diplomata tenentem, pariter his interpoſitum, ut cuique pateat conſpectus. Itaque & hoc etiam nomine meretur iſta ſtatua hic conſtitui.

1. Ὅταν ἡνίκα ἀνεσώθη, πυρσὸν ἀνέσχεν ἐντεῦθεν.

2. Pag. 68. ἀγρύπνῳ προσκαθήμενος τέχνῃ: cum Scholiaſtes pag. 168. ſcribat περὶ τὸν Καφηρέα ποιήσας φανὸν, ὑποστρέφοντας αὐτοὺς ἀνεῖλε.





NAVSICAE
Vlyssi hospitae æternæ.

NAUSICAA.



UM ſic igitur in maritimam ſtragem elabitur Græca claſſis, & hic illic diſſipatur, vel longiſſimus error contigit Ulyſſi, ut ſolus ille volumine integro Homeri enarrari meruerit. Itaque plurima emenſus & periculis creberrimis defunctus, hanc quoque fortunæ contumeliam ſubiit, ut miſerrime deſtitutus, fracta navi vix nudus enataverit in Phæacum inſulam; cujus regi Alcinoo, ob pomaria ac ſilvas ſupra fidem uberes inter poetas clariſſimo, quum filia eſſet Nauſicaa, magno Ulyſſis bono contigit, ut lavandi ergo non diu poſt illa deſcenderet ad litus. Unde nudus illi occurrens & vix foliis aliquot tectus opem ab pietate ejus impetravit, ut & palliolum aliquod ipſi injiceretur, & ad regem deductus liberali hoſpitio frueretur. Quæ res & Alcinoo memoriam æternam nomenque ipſum contulit, & Nauſicaæ faciem quoque cuſtodire Græcis cura fuit, adeo ut ab altero continentis Græciæ latere item inſulares Mytilenæi ex Lesbo legantur hoc nummo, in Itinerariis ac Miſcellaneis Sponii & Wheleri prolato, eam poſteritati cum altera item puella cive ſua Sappho commendaviſſe hoc in ordine ſpectandam.



CIRCE
venefica et incantatrix circa Latium

CIRCE.



APPONENDA huic eſt etiam Circe, quæ etſi Paſiphaes & Æetæ ſoror, tamen tunc demum inclaruit, quum ex fuga promontorio Italiæ occupato vel inſtituit vel invenit & colligere docuit herbas efficaces illic naſcentes. Unde quamvis veſtigia ſui ſparſerit per alias quoque regiones, his tamen manſuram perpetuo notam ingeſſit ipſo ſuo nomine iſtam ſedem maritimam ſignans, quam antea ΑΙΑΙΗΝ quoque vocatam fuiſſe videtur innuere Apollodorus lib. I. Ubi quum ad plurima quotidie machinanda incubuiſſe videatur, non tamen alia pars vitæ ejus æque illuſtris, quam quum vel riſus commovit in ſociis Ulyſſis, vel ipſum quoque defigere ſic potuit, ut illecebras ejus amaret. Itaque hic quoque progeniem fixit, teſtante id Stephano de Ardea, aliis de Telegono Tuſculi conditore. Et certe ad incantationes illas profuerunt quoque ſerpentes, & Medeæ renovaturæ ſenectam non defuiſſe dicitur ab Ovidio

Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri.

Quod argumentum opinor eſſe eos ſecutos, qui in Romanis Antiquitatibus hanc imaginem pro Circe venditarunt. Id quod ſane periculi & aleæ plenum videtur, quum non aliter Salus Dea in monumentis infinitis ſpectetur, quam tenens ſerpentem, quem cibare videtur ſiniſtra pateram geſtante. Quam ſane hæc effigies potuit exhibuiſſe.




SIRENES
tres in litore canentes Ulysse
ad audiendum appellente.

SIRENES.



MULTIS quidem forsan sæculis ante jam in saxo suo degebant Sirenes, utpote vel æquales Musis, quibuscum certavisse cantu leguntur, vel ex earum aliqua (Melpomenen plurimi, sed alii Terpsichoren tradunt, nonnulli Calliopen) natæ, ut proxime ad eas accedant, etiam Higino eas ad Proserpinæ raptum referente. Quidquid de his etiam Argonautæ jactare voluerunt, omnino quem venerari debemus ob eas palam cognitas, Ulysses est, qui solus potuit earum cantus audire, ita ut non ad desidendum illuc appelleret, sed prætervеheretur, & quum postremus omnium cantantes eas audivisset (quippe post quem assidue conticuerunt non amplius viventes) simul doctrinam earum per populos ferre, simul faciem earum magno rerum suarum præconi Homero informare. Quod ut aliis etiam fieret, & nostro proposito inprimis faverem, ipsas tres (in hunc enim numerum conveniunt omnes, etsi variantes nomina) egregie prorsus ex monumento veteri Romano in gaza Musei Puteani exhibitas nuper & vulgatas huc applicui, quo & numerus ipse constaret, & apparerent *pluma pedesque avium*, cum gererent tamen *virginis ora*, ac pariter tibiis, (sic enim loquitur Servius, non *tibia*, ut video temere ex illo plus quam semel citari, etsi ita unam inflent in nummo) cithara, voce modulantes concordiam suam. Omnia hæc sæpe & per complures, qui Homerum sequuti sunt, consensu tradita, sed non tam bene distincta, quin identidem cum aliis marinis monstris fuerint confusa, unde frequens hæc monitionum in novellis scriptis materia, ut nequaquam hodie scribi ab ullo posse sperarem in Thurinorum nummo cassidem Minervæ sic ornari, ut illic conspiciatur *Triton aut Sirene* [1]. Id quoque in his singulare notari oportet, quod etiam amiculo aliquo sint vestitæ, quo carent omnes aliæ, quas ex nummis




1. Thes. Brandenb. p. 331.

 habe-

habemus, quarum primam dederunt in gente Petronia; duas præbent memoriæ Brefcianæ, etiam nonnifi fingulis tibiis inftructas. Quia tamen in hac antiquitatis illius memoria non ipfas modo Sirenas contemplamur, fed & præternavigantem Ulyffen, quem modo genuinum infpeximus; nulla videtur invidia, huc coacervari etiam, quidquid aliud de Ulyffe ad audiendam Sirenum cantantium fapientiam parato ad manum eft, quod omne fimul accipe.




LEANDER
Per aquas amatam petens.

LEANDER.




PERSEQUUTUS tempora, Trojani tandem belli reliquias acceſſioneſque omnes conſummavi, ut ad continentem memoriam nunc liceat magiſque ſecuram accedere. In qua tamen occurrunt etiam nonnulla, quorum certa temporis adſignatio periit; qualis eſt amatoria narratio Leandri & Herus, enimvero celeberrima & per ſacratiſſimos etiam vates Maronem Naſonemque dedicata, quum tamen ætas negligatur, niſi quod exemplis modo amantium vetuſtis connumerentur. Id tamen utique ſupponi oportet tunc accidiſſe, (ſi quidem accidit,) antequam nimia navigationum frequentia Helleſpontus noctu & interdiu trajiceretur, ut perquam exiguo intervallo ab rebus Trojanis abſit. Nam poſt eas eveniſſe clamat certe Ovidius, quum in amatoris epiſtola mentionem injicit & Dædali & Endymionis & Andromedæ Colchorumque, prout ab amata proferuntur tum Jaſon, tum quoque Idæus adulter; imo etiam *celer Eleo carcere miſſus eques* illic nominatur; ut inde ſic ſibi hos amores notos eſſe fateatur, qui poſt bellum Trojanum contigerint. Quæ quocunque numero ſint, & quanquam ex talibus accurata temporis notatio deduci continue non debeat: ſequor tamen, quum alii obiter iſtud amoris commercium ſcriptis ſuis inſerere captantes nullam ſuſpicandi de ætate facti præbeant anſam; atque firmiore fide ac certiore loco hanc faciem oſtentare ignorem, publico præbitam ab Ful. Urſino ex gemma amethyſto, ubi Joh. Faber ne tangit quidem hanc unice neceſſariam partem, ſicut nec alii lexicorum ſartores nummorumque illuſtratores notiſſimis ac vaniſſimis defungentes. Hoc igitur qualecunque, ſed antea inauditum amoris ſpecimen ab illis tamen aliiſque, verum ſingulari exodio ab ingenio Muſæi venuſtatem poeſeos adipiſci meruit, cujus quidem & ipſius ætatem ad ultima Romanorum tempora rejicere allaborant. Ita præcedit Caſaubonus, ſequitur Marshamus cum reliquo grege. Ego quidem in MS. Oxonienſi, cui aderant ſimul nonnulla ſcholia, inſcriptionem hanc legi, ΜΟΥΣΑΙΟΥ ΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΥ ΤΑ ΚΑΘ' ΗΡΩ ΚΑΙ ΛΕΑΝΔΡΟΝ, prout etiam in pluribus ſe legiſſe manuſcriptis codicibus teſtatur Leo Allatius de Patria Homeri, ubi & acerrime hunc Muſæum excipit, & Stephanum quoque ejus inſcriptionis ſpectatorem citat. Hæc hactenus. Debuit igitur huic tempori contigiſſe natator ille, quem vides capite prominulo, properantemque, ut ex ipſius ore eum conſiderabat Martialis, & hinc ingenti pectoris impetu ſuperantem & ſcindentem fluctus, adeo non timentem [1] aquas, & in medio Helleſponto inter undas & nocturnas nebulas colligentem illas ſpu-

[1] ipſe dicit apud Muſæum
Οὐ τρομέω βαρὺ χεῦμα τεὴν μετανεύμενος εὐνὴν
Οὐ βρόμον ἠχήεντα βαρυγδούποιο θαλάσσης.

meas guttas [1] capillis (qui ſunt ideo notabiles ; quod in nummorum ectypis ubique ſic eos exhibent , quaſi minime ſummiſſos habuerit) madidis & humore pendentibus ita , ut oculos recta ejiciat ad allucentem e regione facem, ubi tandem anhelantem [2] eum eſt amplexura Hero.

1. Ἀφροκόμους ῥαθάμιγγας. 2. Ἀσθμαίνοντα.


HERO
amatori Leandro noctu praelucens

HERO.



N hujus virginis conſpectum ipſa Veneris feſta Seſto celebrata ſolenniter Leandrum iſtum duxerunt. Etiam quum ſine mora potentiſſimæ illius Deæ epiphania & invicta auſpicia iſti extraneo junxerint hanc ſacerdotem ſuam, ſed quæ Leandro ipſa Dea videbatur, aut quædam huic proxima [1], certe Gratias vel centum riſu oculi unius exhibens [2]; noſtri etiam muneris fuit illam huc apponere. Nec enim intelligo, cur eam omittere placuerit Urſino aut Fabro, cujus verba non debent hic deſiderari. (Eyſtat apud Fulv. Urſinum nobilis quædam gemma, in qua cernitur turris Græcis inſculpta literis, quæ indicant illam eſſe Seſti turrim, unde Hero puella venientem ad ſe noctu ex oppoſita Abydo Leandrum ad lumen laternæ, tanquam e ſpecula ſdectare conſueverat. In qua item gemma *Cnpido* ſculptus eſt, tubæ ſonitu, quaſi luctantem Leandrum excitans; expreſſo ibidem altero Cupidine, qui navem quandam in ipſis maris vorticibus ex litore Seſti Abydum verſus ad excipiendum Leandrum dirigit, quaſi ad illud Ovidii carmen reſpiciens *Ipſe gubernabit reſidens in puppe Cupido*) Certe merebatur Hero iſta æque locum ac Leander, qui quum ab illis vocetur Heros, hæc non minus Heroidis nomen adipiſci debuit, vel Ovidio auctore inter Heroidas eam reponente, & reſtitutam faciem. Et credimus libenter in gemma ſic noſtram Hero illis conſpectam fuiſſe; ſed quam proxime ad nummos illa accedit, quos ad inſpiciendum id, quod illi ſuppreſſerunt, grate accipi-






mus ab aliis, unde diſcimus non privatos tantum gemmis, ſed & Abydenos [3] publica moneta eam honoraviſſe, habitu exſequentis, ad quod verſuti amoris inſtinctu eam formaverat Leander. Inſiſtit igitur turri ſuæ, & quod quidem mireris nuda, quum tamen ΕΛΚΕΣΙΠΕΠΛΟC dicatur Muſæo, tanquam ignoverint Leandro

1. Κύπρι φίλη μετὰ Κύπριν.
2. Πολλαὶ δ᾽ ἐκ μελέων Χάριτες ῥέον. οἱ δὲ παλαιοὶ Τρεῖς Χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι. εἷς δέ τις Ἡροῦς Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.
3. Sic toto corpore exſtante ex aquis effingentes illum nummo ætate Severi Alexandri cuſo, ſi fideliter expreſſus eſt. Alterum dedit Patinus ſub Caracalla pag. 308. etſi facem non præferat, & inſcriptio ſit rupta & confuſa, quam Harduinus facit ΑΛΩΡΙΩΝ.

ſuo Abydeni, & ipſi nobiles cultu Veneris, manifeſto ΠΟΡΝΗΣ cognomento, ut ex Pamphilo nos docet Athenæus libro XIII. Hi, inquam, Abydeni ſic ignoverunt civi ſuo, quem vicerit tanta corporis venuſtas, non aliter ac ſi ipſi quoque illam quotidie videre ſic cupiviſſent. Sed non laternam dextra elevat, ut ſcribit Faber, quam potius ΛΥΧΝΟΝ, ut appellatur Muſæo. Verum nec ſiniſtra vacat, quippe & ipſa elevata ferme indicat tacitam & internam ejus lætitiam ex accedente jam, certe conſpecto Leandro.




CODRVS
Regum Athenis ultimus

CODRUS.



CUPIO enim gratulari & favere Canino hanc faciem publicanti ex nummo, qui ad notam urbis ac monetæ gerens infixam noctuam, Athenas satis manifeste designare videbatur, ut sustineret credere præstantissimum ita regem ab se conspici. Et certe admodum hanc fidem affirmat, quod quum decernentes hunc fore regum suorum ultimum multiplici honore cives eum & magnifica memoria extulerint, pecuniæ quoque publicæ sanctitate recordationem ejus custodivisse videantur, quum utique vellent Codrum esse nobilissimum quotidiano etiam sermone[1] id asseverantes, non tantum ex hoc facto, quo mortem adeptus est, sed etiam ipso genere. Nam hoc quidem ita exornarunt, ut ad ipsum Deucalionem repeterent, inserentes simul Nestoris fratrem Periclymenum ab Hercule occisum non sine admirabili fabularum jactantia. Sic scilicet magna solatia paternæ mortis circumspiciebantur filiis. Itaque ne diu quidem post & ipsa nobilitate Athenarum jam abolita, dubitavit Leucippe[2] fastidium suum in Tersandro significatura jungere vel Crœsi divitias vel Codri nobilitatem. Præcipue tamen in literas relatus est ob vitam gloriosissime patriæ impensam, quum & illam & omnia regio nomini se debere judicaret; cujus fides ut sine ulla caligine exstaret, signatus publica demonstratione fuit locus ad Ilissum fluvium, ubi Peloponnenses Codrum regem occidunt; sic opinor loquente Pausania[3], ut significet postero tempore eam rem velut vivam monumentis certis expressam illic exhiberi. Nec potest esse dubium, quin exornata passim statuis ejus fuerit Attica, cujus conservator fuisse agnoscebatur hic Codrus. Ita certe eum appellat meus Cicero, divina scripta illo magno nomine perinde insignire, & quidem frequenti appellatione lætus, ut adeo ex hac congerie omitti non debuerit post Cecropem & Theseum; utinam modo verus! Neque enim sola noctua potest pro idoneo haberi indicio, quum eadem signaverit quoque Olympiæ urbis monetam.

1. Per proverbium Κόδρου εὐγενέστερος.
2. Achilles Tatius VI. 387. ἐμοὶ δὲ οὐδὲν μέλει, εἴτε ἐστὶ καὶ Κόδρου εὐγενέστερος, εἴτε Κροίσου πλουσιώτερος.
3. In Atticis pag. 34. Δείκνυται δὲ καὶ ἔνθα Πελοποννήσιοι Κόδρον τὸν Μελάνθου βασιλεύοντα Ἀθηναίων κτείνουσι.


MARON HEROS
Maroneae urbis conditor.

M A R O.



NON audeo ulterius rejicere originem nobilissimæ urbis in Thraciæ maritima parte, ut ponit satis laxe Plinius, quum & alii & Stephanus [1] Ciconum genti adtribuant, Maroneæ scilicet, quanquam Homeri adhuc ætate velint nonnulli Ismaron appellatam ex Odysseæ decimo, quod vix est necessum; quippe etiam Eustathio notante Ismaron vel Ismaran esse urbem Ciconum prope Maronean. Sed quum Maronis mentionem in urbis ejus appellatione faciant plurimi, sane diversum statuunt & tempore & genere vitæ. Nam ut alii commilitonem ipsius Bacchi tradunt; sic non adeo præcipites alii describunt Evanthis filium, Oenopionis nepotem, atque ita Bacchi pronepotem, ut ex hoc stemmate, quod probamus, non procul ab hac ætate [2] possit diffidere vel urbis exordium vel vita hujus herois. Ejus quidem memoriam & faciem liberali manu Cl. Seguinus indulsit, satis probabili & luculenta moneta, etsi vetustate corrosam & conjecturam difficilem judicet editor. Scilicet ipse pietate erga Bacchum & regionem fuerat insignis; hinc vicissim incolæ istorum locorum honorantes & uvarum, præcipue illarum, unde colligeretur vinum dulce, institutorem memorarunt, & templo coluerunt, Eustathio agnoscente & ΗΡΩΟΝ & ΙΕΡΟΝ. Ita nempe contigit apud illos, ut qui coluere, etiam mox colerentur. Apparet igitur & pulcher, ac omni modo dulcis vultus, ut vina ipsa in eo agnoscas: & *lateri cervina sinistro Vellera dependent*, quo potius sodalem in orgiis posteriori tempore, quam in choro Bacchi comitem intelligas. Itaque idem iste Maro magis ex vivo ac vero spectandus datur in nomismate altero Maronitarum, quod editum est in Goltzii Græcia, sed prorsus non ex fide, si meum adhibeas, (nec enim præstem an conveniat cum illo in Museo sociorum Harduini) quod hic expressum apposui.






1. Neque enim quum ille scribit κα τὴν ἐν Θρᾴκῃ χερρόνησον, ponit *in Chersoneso Thracia*, ut eum vituperat Vossius ad Melam pag. 129. nec ullus Stephani interpretum ita vertit. Nec Stephanus videtur somniavisse de Thracia Chersoneso, sed voluisse observare aliud in Geographia observari solitum, nempe κα τὴν Σαμοθρᾴκην νῆσον. Id enim observavit quoque Scylax, id Scymnus Chius, & alii.

2. At Vossius ad Melam pag. 132. præfracta pervicacia scribit; *Cum Maro tot seculis Homero sit antiquior*. Sic ille affirmare sustinet.

Non enim illa, quæ geſtat humero ſiniſtro, paulatim coeunt, ut finguntur in Goltziano, ſed diverſa eodem ſpatio manent; nec characteres ſimiles in eo exſtant, ſed quales cernis. De eo igitur ſic notat Nonnius: *ab averſa parte idem Deus nudus, cum botro in dextra, in ſiniſtra Thyrſus cum pelle quadam videtur geſtare*, manifeſto typorum lapſu, quum voluerit auctor *thyrſos*. Sed quo thyrſos? Simplex Baccho ſufficiebat. Nihilominus duo diſtincta exprimuntur. Sed thyrſi plane non ſunt, nec quidquam in ſuperiore parte ad thyrſum accedens: Nec mirum. Sunt enim duo vitiginea virgulta, vel ſtolones, quorum cultura monſtrata produxit eximiam illam uvam quam dextra oſtentat hic ipſe Maro. Is enim ibi intelligitur celebratus ab Maronitis ob opera illis præſtita, quibus favor Bacchi acceſſit, ut bene provenirent.


PERGAMVS
adhuc viridi iuventute.

PERGAMUS JUNIOR.


UNC quoque poſt everſa antiqua Pergama poſcit locum Pergami urbis conditor, longe alio & magis juvenili vultu , quam prior . Hic igitur vigens ætatis flore Pergamus *ab Canino ex nummo Pergamenorum* ſex literis tantum notato & aliis ignorato deſumptus ab eodem ex Pauſaniæ Laconicis & Atticis ſignatur Pyrrhi & Andromachæ inter tres minimus filius, quæ mortuo marito, mox & altero Heleno , in Aſiam circa Teuthraniam cum hoc Pergamo redierit , iſque interfecto Ario dominus regionis ejus factus urbem a ſe cognominaverit ; cui alteram gloriæ cauſam præbuit Æſculapius in hac urbe pergulam ſuam medicam conſtituens , quam Lucianus in Icaromenippo ΙΑΤΡΕΙΟΝ appellat . Sic traducitur Hectorea Andromache per regiones ſimul & viros , ut ne pereat ex fama nomen Pergami, de quo ſic omnia diximus.



ARETHVSA
Alphei amor.

ARETHUSA.



N hoc crepuſculo veræ hiſtoriæ tangi quoque debet antiquitatis narratio, ſi poetas & fabuloſam ei adtextam venuſtatem adhiberi & conſiderari oportebit, non modo annis bella Trojana antecedentibus inſerenda, ſed vel primis omnino temporibus adſignanda, & ipſi Cereri, ipſi Proſerpinæ raptui & Dianæ per Græciam venatibus contigua & æqualis. Hæc eſt illa admirabilis vel magnitudine vel alvei non per terras, ſed medium mare acti ſecreto & incognito ductu, vel piſcium multitudine ſcaturigo aquarum in Ortygia inſula prope Syracuſas, illuc ex Peloponneſo deducta per Dianam & Arethuſa appellata. Sed non regit nos iſta levitas, quam ut inter delicias ingeniorum habere licet, incorruptæ veritati tamen ubique adhærendum eſt. Liceat poetis tam maturo tempori eam innectere. Liceat aliis plurimis, etiam Marshamo pag. 168. Chronici Canonis eam producere ſine ulla notatione temporis, tantum ut jactet opes & poſſideri ab ſe nummum tritiſſimum antiquariis. Certe quum Arethuſa paſſim conjungat ſibi Ortygiam, inde colligitur jam Græcum ſermonem per colonos Græcos illuc fuiſſe importatum, utque adeo poſſet dicere, *Advehor Ortygiam* [1]. Inſuper tota fabulationis de aquis ex Peloponneſo venientibus fides pendet ab documentis ex urbe Olympia & per ludos Olympiacos factis, quando vel turbata fuiſſe aqua ejus per immolationes denſas creditur, vel patera ab Olympionica in Alpheum conjecta ibi emerſiſſe. Omnia veri temporis indicia. Propterea ſi nec cum Archia ipſo nec poſt paulo invecta ſupponi debet; certe non multis ante eum annis illuſtrare hanc terræ partem antea ſatis ignobilem & monſtris infeſſam cœpit, & a nobis in hanc ſeriem redacta. Quum enim placuiſſet Syracuſanis jam diteſcentibus inventum, ad noſtram uſque notitiam cenſuerunt venditare in nummis ſuis faciem puellarem variis modis ornamentiſque, in ampla Parutæ copia mirabiliter conſpicuis, inſtructam & præſertim cirris diſtinctiſſimis caput circumdatam vel amictam, plerumque etiam delphinis quatuor vel tribus cingentibus, ut videtur, ad naturam aquæ ſignificandam, quæ eſſet marina ac marinos piſces aleret, nec tamen amitteret dulcedinem: dulcis enim aquæ fontem eſſe teſtantur. Cerne igitur iſtud caput, quod quum alloqueretur Ceres, ipſa Nympha ex alto fonte ſuſtuliſſe ſcribitur, *viridesque manu ſiccata capillos* multa narraviſſe; cujus frons etſi ſit ſimplex, & ipſa neget formæ famam ſibi ullo tempore petitam, digna tamen *quæ poſſit formoſæ nomen habere*.

1. Ovidius lib.5. Metam.640.


ALPHEVS
in Arethufae fontem illabens.

ALPHEUS.



Sed nihil actum, nisi audiatur causa fugæ, ut Peloponnesiacam Elin, regionem omnino perjucundam, & Nymphis utique gratissimam, voluerit Arethusa aeri & terris & luci adsueta, non aquis & obscuro fundo, profugere, & Siciliam qualemcunque illam, certe modo Polyphemos efferentem sequi. Alpheus is est genius fluvii, quem ingressa nuda nympha ex continenti inflammavit amore sui. Et sicut tunc non modo secutus fuit eam adhuc puellam fugientem per terras, sed & mutatam in amnem per undas marinas; ita sequatur etiamnum Arethusam suam Alpheus, quum & alveus ejus hodieque exstet, & effigies, vel maxime admirabili, sed tamen decente forma, studiis eam imputante Farnesiano palatio [1]. Nam & virili vultu eum factum videmus, prout ab Heræensibus fingi solitum scribit doctissimus Ælianus [2], quem in nummo urbis Olympiæ idcirco etiam Nonnius (falso enim hanc suspicionem sibi tribuit Harduinus) videre se suspicabatur: & ut fabulæ corpoream expressionem stupeas, recta se trajicit & quasi jaculatur per delphinum, piscem maritimum, ut mox dixi, atque adeo maris ænigma, idque ita, ut corpus suum sibi retineat. Patet ergo, quemadmodum veteres intellexerint ac conceperint Alpheum quoque perinde ac Arethusam, Peloponnesiaco litori infusum non se consociare pelago, sed subter maria terrasque depressum in Siciliam mittere alveum, ibique se rursus attollere, ut loquitur antiquitas apud Pomponium Melam: quæ nobis elegantior videtur, quam universus ille petaurus ex Chaldaicis suspicionibus, quas præstigiator Pœnus in illam insulam transmisisse a nonnullis fingitur.

1. In quo videtur aberravisse Caninus, scribens pag.73. Nel Palazzo di Farnese v'è di bianco marmo scolpito un Delfino, che con dui giri della coda stringe e ravvolge Amore, tenendolo sollevato con le piante in alto. Melius jam consideraverant id marmor editores Antiquitatum.

2. Libro 11. Var. hist. cap.33. ἐν εἴδει ἀνδρός.



CHRYSAS
genius et fluvius Siciliae.

CRYSAS.




EQUE vero ex hac inſula egredi decet, niſi peregrinis iſtis & advenis amnibus honore habito pariter memoria indigenæ colatur forſan æque ſancto cultu ab vicinia habiti, licet non etiam pari magnificentia, qua Syracuſani apud Ortygiam illos conſpicuos fecerunt. Tanto etiam juſtiore indicio parvum hoc numen quondam commemoramus, quanto graviore caligine omnia apud theologos Siculos vel Græcos aliquando narrata nunc premuntur & obſcurantur, nulla parte vel cauſa hodie apud eos reſidua. Unde videri poſſet quoque rejiciendus ad tempora, quæ illum celebrare in chartis voluerunt. Sed quum jam nunc is in Sicilia fluat, & ſi non Aſſorinis, certe alveo ſuo apud accolas ſit laudatus cultuſque, dicatur ſane ſtatim CRYSAS. Is enim eſt, dictus etiam Diodoro & Ciceroni in Verrina quarta, ſed ita, ut adſpirationem inſerant literæ primæ, quod jam multi poſt Urſinum Orteliumque notaverunt, quum nummus ignoratus Goltzio, & ab primo Paruta publicatus edat nomen ejus CRYSAS, Aſſorinis hanc acriorem pronuntiationem magis amantibus. In quo patet aberratio Cluverii, quum in nummo ΧΡΥΣΑΣ adſcriptum nomen Græco charactere ſine adſpiratione literæ X teſtatur; ſicut eadem fide Fazellus ſcribit eadem numiſmata caput hominis cum Græcis literis Aſſoron exprimentia reperiri. Et Paruta edidit, & Urſinus citavit Latinis literis CRYSAS, quod quum confirmet nummus, qui modo in manum venit inclito noſtro de Wilde, non eſt, ut in eo hæſitemus; eumque idcirco ad-



jeci, ut quantacunque appareat diverſitas. Certe etiam in Vibii Sequeſtri editione Aldina MDXVIII. exhibetur *Cryſas*, non *Chryſas*, quod nunc exemplaria recentiora obtinent, ac ſecure ex iis citat Cluverius. De hoc amnis præſide multas fuiſſe ad reverentiam ac feſtivam lætitiam narrationes dubitare non licet, quum tam inſignia ſpecimina adeo extollant Aſſorinorum erga eum pietatem, ut ferme eum pro janitore Cereris Hennææ venerati ſint. Neque enim hic Deos agnoſcimus, aut templa reſpicimus.





ACRAGAS
Agrigenti Conditor.

A C R A G A S.



Hic enim quoque jam fluit, ut ſatis multa docent monumenta, & ab urbis, cui paulo poſt nomen ſuum dedit, incolis vel celeberrimam nactus eſt gloriam, non opum modo coacervatione & magnificentia fabricarum, ſed oſtentatione quoque ſtatuarum, quibus vultu pueri formoſi [1] eum velut ſemper decorum (rem ei ætati congruam !) jactaverunt. Et iſte quidem vultus ſic exhibitus fuit ab Goltzio, ut venuſtatis augendæ cauſa, quod opinor, monili circumdatum gerat collum, unde fœminam ſpectari putans, ſuſpicabatur eſſe caput Damaratæ Theronis filiæ, unde Damarateus nummus dictus fuerit, non utique hic ipſe, ut nuper immerito aliquis eum inſectabatur (ſciebat enim optime pretium iſtius nummi & expreſſit, nempe quinquaginta litrarum fuiſſe) ſed ut idem quoque caput minori nummorum generi incudi poſse crederet, quod ſolum ſervatum fuit, quum pretioſius evanuerit. At Parutæ fides rejicit hoc ornamentum qualecunque, certe non tanti habendum, ut ideo ſexus mutetur in Acragante ab omnibus Græcis ſcriptoribus, quos Cluverius aliique contulerunt, viriliter conſiderato, ſeu fluvium ipſum ſeu fabuloſa de eo cogites; quod indubitabile reddit ipſorum Agrigentinorum fides & auctoritas Æliano innixa. Multo magis abeſt, ut Pindari Scholiaſtes favente Lucina poſſit procreare heroida iſto nomine, quam ex nullo ſcriptore cognovit aut legit, quum ipſe etiam lyricus manifeſte ipſam alloquatur urbem, non Urbis præſidem vel Nympham vel Heroida vel Reginam reſpiciat. Utinam modo aliquid ſupereſset ex antiquis illius urbis tabulis, & audire liceret enarrationes, quas quin habuerint de iſto fluvio affatim lepidas, quis dubitet?

1 Παιδὶ ὡραίῳ εἰκάσαντες, ait Ælianus.


PATRAEVS
Patrensium urbis in Achaja conditor.

P A T R E U S.




OPORTUIT iſta qualiacunque huic intervallo adſerere, quo nullum opportunius videbatur aperiri, prout dixi, & alioquin liceat has interim delicias quoque ſectari. Revertor ad hiſtorica Codro annexa, cujus tempore Lacedæmonem tenebat Agis alter ab Euryſthene. In hanc igitur ætatem conferre præclaram iſtam & per ipſas Sibyllas prædictam memoriam nos jubet Pauſanias, qua locus jam olim & diu nobilis prima per Peloponneſum ſatione frumenti, etiam ipſius Triptolemi vomere venerabilis, nomine Aroe, ab urbe tunc impoſita magis cognoſci cœpit, Patræque ab conditore appellatæ hanc Achajæ regionem fecerunt illuſtrem. Hic ille Patreus eſt, cujus ideo & ſepulchrum illic in foro, & in porta illud aperiente ſimulacrum, novit Pauſanias, ut inde conſtet vel Patrenſis populi in conditore pietas, vel cuſtoditæ apud illos frontis ejus veritas. Ea quidem fuit puerilis. Sed non dubitandum, quin poſita fuerint plura etiam ætatis robuſtioris, ad quorum unum cuſa fuerit hæc moneta, quam ex Theſauro Palatino libens petii. Quippe nullo prætextu poterat hæc undecima (neque enim intelligo, cur in Theſauro Brandeburgico ex illo ſtemmate expellatur Areus [1] dicente Pauſania, Agenorem patrem Preugenis fuiſſe filium Arei) ſuboles Lacedæmonis hinc omitti, ubi poſcente ratione temporis, ſuo ordine locaveramus auctorem generis, cui tanto minus erat hic inficiandus, quod & ipſe ejuſdem ingenii, maluerit inſtauranda & amplianda urbe, quam evertenda inclareſcere. Sed & alia virtutis documenta ab eo fuiſſe edita, quorum exſtiterit apud Patrenſes memo-



ria, declarat averſa ejus nummi pars, quam idcirco appoſui.

[1] Αγήνωρ δὲ ὁ πατὴρ τοῦ Πρευγένους Ἄρεως παῖς ὢν τοῦ Ἀμπύκου &c.


HOMERVS
Apollini ab Chiis appositus

HOMERUS.




SIC urbium luminibus quum ſplendeſcere paulatim inciperent regiones Græcæ , fieri non potuit , quin par nitor ſimul infunderetur quoque animis incolarum ; in quibus aut ipſa ætate , aut certe ingenii magnitudine excelluit HOMERUS . In hoc quum & mens ad cogitandum ſe accingens ſtupeat , & verba ullam partem æquantia tantum decus non ſuccedant ; atque etiam omnia , quæ de eo a nobis dici poſſunt , ab aliis jam ſint pleno modio profuſa , ſatis erit a nobis tangi ſola hæc monumenta ejus, quæ colligo. Quorum primam tabulam , vides impleri ab ſacro & venerabili capite poetæ , ſed quem conſenſu omnium conſciſcente eſſe regem poetarum , etiam artifex voluit apparere diadematum , perinde ut in ſequentis tabulæ imagine & nummo Antonini . Nam quod in nummo Amaſtrianorum quoque talem eum exhibeat Bellorius , error eſt , ſi fides habeatur Urſini primæ editioni . Accedit vultus ſanequam exercitatus , & multitudine rugarum altitudinem continuæ meditationis declarans ; interim æquitate & univerſo tractu ſane etiam venuſtus , coma quidem & barba prorſus ad gratiam criſpa reverendus . Itaque hic robuſtus etiamnum & vigens ſupponatur junctiſſima cum Muſis habere concilia , & deditus eſſe divino vel Iliados vel Odyſſeæ operi. Sed ne prorſus hæc prima admiratio unici poetæ abiiſſe ſine conſpectu noſtro videatur, judicavi faciem muliebrem huic annectendam, quam ex Canino huc tranſtuli . Exiſtimat bonus ille vir , quum in ipſa ſcul-



ptura exſtent literæ KP, & quia in ſermone Italico interdum ſubtrahi poteſt adſpiratio ; hinc quam Polyænus appellat ΧΡΥΣΑΜΗΝ, eam hic videri poſſe cœlatam . Hinc poſuit illic narratiunculam Polyæni Italice verſam , & quod Græci nomen per ΧΡ inchoabant , pro eodem habitum putat , ac ſi per KP ſcribere nobis liceret . Nihil quidem illo jocoſius aut levius . Itaque conſiderans hanc faciem cum parergis , quæ partim in poſtica literis KP conſtant , partim ante pectus creſcente velut lauri ramo , dubitare incepi an non eſſet ipſa Critheis, ΚΡΙΘΗΙΣ, divini Homeri mater , & nonnullis Nympha appellata , & ſingulari caſu faciens eum

Melesigenam ; ut & matris ingenium non rude ad has optimas artes fuisse videatur, & ex matre istam fœcundam venam traxerit , quam tangit quoque Allatius de patria Homeri cap. XII.


HOMERVS
Smyrna, Rhodos, Colophon Salamis, Chios, Argos, Athenæ,
Orbis de patria certat Homere tua,
Apud Cardinalem Farnesium.

HOMERUS.

CCEDO ad ſecundam, quam vides me petiiſſe ex deſignatione Fulvii Urſini, qui Hermen iſtum literatum & capite truncatum, & paulo antea ab Achille Statio editum cum Herma Menandri, primus junxit non incommode cum imagine Homeri integra poplitum tenus. Unde non intelligo, qua fide prodat Allatius de patria Homeri pag. 25. Gerartum Falkemburgium eſſe, qui notis in Nonnum primus publicaverit medios ejus verſus. Scripſit hic, ut apparet ex epiſtola ad Sambucum, anni 1569. menſe ſecundo. Achilles Statius præfatur ad Perrenottum anni 1568. menſe octavo. Itaque licet tunc Antverpiæ ſcriberet Falkemburgius, quaſi ſciat, illa tunc nondum a quoquam publicata; ſane eo ipſo tempore & antea jam æri inciſa erant Romæ, utique eodem tempore publicata. Quin etiam Urſinus oram ſupremam & imam ornavit ex re nummaria & gemma quinque Homeri vultibus, ex quibus neſcio cur duos tantum in ſuprema tabella retinuerit Urſini imitator Bellorius ita, ut primi capitis lineamenta infandum in modum ſint detorta, & nihil Homericum retinuerint. Neque enim Homero tale tuber inter ſuperciliorum confinia ſuper naſum tribuitur ab ullo monumento, quo tamen inſignem eum fieri vides, ut potius Daci alicujus perſona videatur; utique, quod jam dixi, nec diadema illud agnoſcitur ab Urſino, etſi norim Chifletiano nuper cœlo reſtitutum, cujus fidei arbiter non ſedeo. Integram tamen tabulam Bellorio ob certas cauſas reliqui. Sed ut nihil hinc abeſſet, ſimul relatam veram ex Urſino faciem nummi, cui Meles a tergo ponitur, & tria illa, quæ is




omiſit, item Urſiniana, hic appoſui, addito quarto ex ſpecimine Morelliano tab. XXII. Simul refero vultum poetæ ab Leon. Auguſtino editum, alterumque quem Caſp. Gevartius Romæ quondam deſignavit

vit ex Urſini nomiſmate æreo; denique tertium ſedentis habitu ab Leone Allatio productum, nuper & ex Theſauro Palatino; quos in fine annexui, utpote non manuum ac graphiorum decora, ſed Homerum quærens. Unde nec attingo id, quod in imo Smyrnenſi, prima ſedentis imago manu dextra tenet, alio calamum vel palmam (quippe & figuram longe aliam præſtant) interpretante, Bellorio ramum vel acroterium. Patavinum enim Homerum in theſauro Geneſevæ Pariſinæ reconditum hinc abigo, quum nec ipſe nec interpres ejus quidquam huc conducant. Vera aut ſaltem ab antiquis data vultus Homerici lineamenta petimus, quæ quam maxime ſpectabilia in majore iſta ſtatua, exprimente eum jam graviorem annis, ac curis aliquo modo extenuatum & exeſum fatente; unde ſi tu, ſpectator, conceperis, quas ille & reliqui poetæ Muſas ac Deas appellaverint, teque ad iſtud exemplar exegeris, omnino ſatis ſuperque profeceris, eriſque aliquando ΑΥΤΟΔΙΔΑΚΤΟΣ, vel ΜΟΥΣΟΠΑΤΑΚΤΟΣ. Sed audiamus Urſinum; ita Fabro carere poſſumus. „ Homerus quibus parentibus ortus, quibuſve temporibus floruerit, incertum eſt: variant enim inter ſe Græci ſcriptores, qui hæc curioſius conquiſierunt; nec in tanta opinionum varietate, quid potiſſimum ſequamur habemus. De patria quoque inter nobiliſſimas Græciæ civitates contentio fuit. Chios igitur, qui Homerum civem eſſe ſuum dicerent, ejus imaginem ſuis nomiſmatibus impreſſiſſe tradit Ariſtoteles lib. II. Rhetor. & Julius Pollux lib. x. Smyrnæos autem, quod prope Meletem Smyrnæ fluvium natum eſſe confirmarent, non modo nomiſmata Homeri imagine ſignaſse, ſed delubrum etiam ejus, Homerium dictum, in oppido dedicaviſse ſcribit Cicero in oratione pro Archia poeta, & Strabo lib. XIII. Itaque Amaſtrianorum in Ponto civitas, Smyrnæorum, ut opinor, colonia, non aliam ob cauſam in altera nomiſmatis parte Meletem ipſum fluvium impreſſit. Pauſanias in Phocicis ſcribit, pro foribus templi Apollinis Delphici fuiſſe Homeri ſtatuam æream, ſuperimpoſitam columnæ, in qua inciſum eſſet Apollinis reſponſum, quod ipſi Poetæ, de patria ſua ſciſcitanti, editum narraretur. atque hic idem ſcriptor in rerum Eliacarum lib. I. Homeri ſtatuæ, in Jovis Olympici templo poſitæ, meminit. Ipſam autem Homeri imaginem fictam fuiſſe ab antiquis ſcribit Plin. lib. XXXV. c. II. Aſinius quoque Pollio, cum in Bibliotheca illa nobili, quam de manubiis Romæ primus aperuit, ſcriptorum imagines collocaſſet, Homeri, quod veram non haberet, fictam poſuiſſe dicitur. Itaque Ælianum in villæ ſuæ Bibliotheca, quam via Oſtienſi Romæ ſtruxerat, hujuſmodi quandam Homeri imaginem collocaſſe credendum eſt. quem nos Ælianum eum eſſe exiſtimamus, cujus de animalibus, & varia hiſtoria Græce ſcripti extant libri. Ejus autem Græca de Homero epigrammata ita in Latinum convertit Laurentius Gambara Brixianus.

Hoc multa ſimulacrum, hoſpes, quod conſpicis arte
Cælatum, eſt vatis Mæonii effigies.
Hic lumen Muſarum ingens, tubaque orbis Homerus
Heroum cecinit, cælicolumque genus.
Claraque Grajugenum celebravit facta; ſuoque
Carmine lux illis ille ſecunda fuit.

Quod natale ſolum fuerit mihi, quique parentes,
Æliane, haud cecini, nunc tibi vera canam.
Ipſe mihi patria eſt orbis; ſed dicor Homerus:
Quodque cano, dictat Calliopeja mihi.

Quo pacto te immortalem fecere Camœnæ,
Fœmina ſi in lucem te dedit ætheream?
Si immortalis eras, curnam divine Poeta
Inter mortales te poſuere homines?
Verum ego nunc novi: partim te maximus orbis
Eſſe hominem, partim te putat eſſe Deum.


ΟΜΗΡΟΣ
ΜΕΛΗC
CΜΥΡ
ΝΑΙ
ΩΝ

HOMERUS.




ERTIAM prorſus mihi vindico . Nam quum nummus hac moneta veniſset in opes Goltzii , Nonnius Jovem cogitavit puræ haſtæ innixum , ita tamen ut negaret facilem explicatu eſse . Sed mox Harduinus nihil ab ſuſpicione intactum ralinquens ſcribit ; *Apollo radiatus , & Juppiter , Herculeſve aut Neptunus , vel Æſculapius potius cum baculo , ara inter utrumque Deum poſita ; id quod Deos eſſe illos præſides cuſtodeſque inſulæ argumento eſt* . Sic univerſum fere iſtud cælum in hunc unum nummum devocatur , ſed per inconditas modo ſuſpiciones . At nuper diligentius inſpecta hæc moneta videbatur Heroem Benevolum [1] oſtentare , cujus fabulam in Chio narravit Nymphodorus Syracuſanus apud Athenæum lib. VI. pag. 265. Sed certe non ubi quis credit oraculo , propterea Apollini junctam ſtatuam meretur ; nec quia per ſomnum creditur apparuiſse & ſervorum machinationes detexiſse , hinc eoſdem Deo ſatidico honores meritus ſupponi debet . Nam id quidem ſæpe in hiſtoria veteri contigiſse legimus ; certe nec Jovi ſolennia inſtituta ſunt , quod apparuit in ſomno T. Atinio , ſed ludi ſemel inſtaurati . Etiam oraculum id potuit Chiis contigiſse ab alio numine , ut nihil iſti qui ſuum peculiare heroum modo habuiſse dicitur , ſit cum Apolline . Unde ipſe quum delectarer uſu Goltzii inſularum , non dubitavi ſtatim in eo conſpici Homerum , poſitum Apollini ad latus & ad communem aram , ut qui ad eam ſacris operaretur , utrumque pari honore mactaret . Hanc conjecturam juſtiſſime ſubjicit mos veterum continuus in honorando alicujus merito . Neque enim aliunde venit in mentem Romanis , ut medico Antonio Muſæ , cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat Auguſtus , ſtatuam ære collato juxta ſignum Æſculapii ſtatuerint , apud Suetonium cap. 59. Hinc Sabinam Deabus interpoſitam , hinc Pertinacem Herculi & ipſum in Hercule adjunctum apud Triſtanum videmus . Hanc interpretationem quoque vel ipſum caput , prout expreſſit Goltzius , docuerit , perinde denſiſſima coma obſitum , perinde pingui admodum barba veſtitum . Et ſane hanc Homeri majeſtatem , qua cum ipſo Apolline comparatus fuit , plane mirari nos non decet , quum non aliud feciſse Argivos , qui ſolenne ſacrificium parantes advocabant velut hoſpites Apollinem & Homerum , ſcribat Ælianus 9. Var. 15. ille ipſe , cujus mentio creditur ab Urſino facta in verſibus Hermæ Home-

1. ΗΡΩΣ ΕΥΜΕΝΗΣ.

merici . Cæterum ut ubicunque Homerus ac majeſtas ei ab Græcis noſtris merito adſcripta conſpici poteſt, vel me vel alio monſtrante cernatur , adferendum huc cenſeo nummum itidem Goltzianum (& cui non plane diſpar editur in Theſauro Pa-



latino pag. 241.) ab Naxiis cuſum cum ſimili Herma ; quem ignorantibus aliis, nonnulli volunt libidinis indicem eſſe . Sane non ſic ſtatuerunt antiqui philoſophos caſtoſque Muſarum cultores ita venerari ſoliti . Immo eſt memoria noſtri grandis Homeri , tum alia ad ejus reverentiam indicans , tum ſepulturæ monumentum, unde Martianus Capella libro VI. Naxon dixit Homeri ſepulchro venerandam. De bibace ſene nunc loqui tempus non videtur. Haſta quidem illum non minus ornate in hoc habitu conſecrat auguſtumque facit, quam eadem illi jam conſecrato additur in marmore Columnenſi, ad quod nunc aggredior.


ΑΡΧΕΛΑΟΣ ΑΓΟΛΛΩΝΙΟΥ
ΕΓΟΙΗΣΕΡΡΙΗΝΕΥΣ
ΑΛ
ΚΟΥΜΕΝΗ ΧΡΟΝΟΣ ΙΛΙΑΣ ΟΔΥΣΣΕΙΑ ΟΜΗΡΟΣ ΜΥΘΟΣ
ΓΣΤΟΡΙΑ ΓΟΙΗΣΙΣ ΤΡΑΓΩΔΙΑ ΚΩΜΩΙΔΙΑ ΦΥΣΙΣ
ΑΡΕΤΗ
ΜΝΗΜΗ
ΡΙΣΤΙΣ
ΣΟΦΙΑ

HOMERUS.



D vero quum & hic & ubique conſpici mereatur, tum in explicationem ſui impendet facile libros & vel uberrima commentaria. Sed ne ab inſtituto diſcedam, brevibus omnia peragam. Eſt enim in hoc marmore duplex Homeri throniſmus; qui ſic conficitur, ut non modo ſit auguſtus in ſede illa, ubi partes eruditionis verſantur, ſed etiam culmine montis receptus Muſas ſe ipſo inferiores videat. Ibi igitur ſedet non in templo, ut dixere aliqui, ſed inter velaria Homerus dextra volumen, ſiniſtra haſtam tenens, coronatus ab imagine Terræ, ut ubique coronatus & coronandus ſignificetur; adſtante alato Tempore & duo volumina oſtentante, propter quæ ipſa coronam accipit; ſtipantibus latera ejus Iliade gladium in vagina ferente, item Odyſſea apluſtre elevante, quæ emblemata ultro ſe ſatis explicant. Quin etiam hæ patri non ut filiæ adſident, ſed confirmant ſellam ejus & fulcrum; idque ad reverentiam inſidentis ingeniculatæ. Mures ſcabello appoſiti ſunt, quos aliquid arrodere non video, nec in hoc ſacro loco vel actu locus invidiæ. Quod ſi Batrachomyomachia innueretur, cur ranæ quoque non conſpiciuntur? Subeſt aliud: & ſive mures ſunt, ſive glires, per eos licet colligere captam Trojam præbuiſſe occaſionem divinis illis operibus: ad quam explicationem faciunt, quæ viri docti protulerunt de Sminthо & Apolline Smintheo. Sequitur Ara, cui tamen anteſtat fabularum Genius ΜΥΘΟΣ tanquam camillus, ferme cinctu & habitu Gabino, reſpiciens & rogans Homerum, ut horam adolendi dictet, liquorem adfuſurus. Adſtat & Hiſtoria ſacrificantium prima libans aliquid thuris, ſolo pollice & indice digito tenens; utpote primas in utroque opere partes poſſidens. Adſtat etiam bos, ut videtur, dictus ΚΑΜΗΛΙΤΗΣ, ſi audire placet Suidam, a quo nec abludit Ariſtophanis ΓΥΑΙΑΥΧΗΝ, etſi non de bove; vel ipſi vel Muſis ſacrificandus ex ritu Pythagoræ apud Ciceronem 3. Nat. D. 36. Sequitur Poeſis duas faces elevans ita, ut ultra velum flamma promineat vel ad ſolennitatem ſacrificii, vel ut extra ſtantibus ſcintilla aliqua hujus ſacri, quod in operto vatum eſt, alluceat. Sequuntur Tragœdia & Comœdia, dextram promittentes vel in agnoſcenda divinitate Homeri; vel in faciendis jam votis ad ſtatuam & aram ejus, ut in utroque multa exempla præbentur in nummis antiquis, ut ita manu & voce venerentur, prout loquitur Suetonius Claudio cap. 12. qui ſic explicandus. Verum Tragœdia altior, quam Comœdia; etiam Tragœdia habitu virili, quum iſta mulieris, quod præclare explicat Lucianus in Saltatione. Sed & manifeſte Comœdia in exomide, ut vocat Feſtus. Sequitur Natura averſa & pue-

ruli in formam laſcivientis & ex quatuor adſtantibus puellis proximam aut monſtrantis aut arripientis, quæ & omnes pulchræ & ſibi pariter ſimiles diſſimileſque, ut in eis ita oſtendat hoc habitu ſuo naturam artificioſe ambulantem, ut ait Cicero lib. III. Nat. Deor. cap. XI. Harum prior & eminentior eſt Virtus, ad ſimilem conſenſum atque etiam præ admiratione, quum ubique ſe mirabiliter ſervatam ab poeta ſciat, manum tollens; illamque in eadem ſerie ſequitur Memoria, quidquid adeſt, tacite tranquilleque adſpiciens, & quidquid fit, in capitis repoſitorio abdens ſeque vel maxime viguiſſe in heroe iſto conſcia. Ante iſtas duas ratione tabulæ ac cælaturæ ſic exigente, poſtremam velut portionem hujus thiaſi faciunt Fides, digito attingens labia, ut multi ſic occurrunt, brachioque ſiniſtro, cujus manu etiam tenet volumen, fidei velut tabulas complexum, circumdat cervicem Sapientiæ, etiam ut Virtus velatæ, atque adeo junctæ ſe invicem confirmant continentque, quum etiam Sapientia tenere videatur volumen ſiniſtra, dextra ſuperiori pectori ſic admota, ut mentum fere illi innitatur; ita ſcilicet re apud Homerum conſtituta, ut fidem maximam & Trojanis & vetuſtioribus rebus præbuerit, ſed ſapientiæ ſuæ, quæ & ipſa maxima fuit, innixam; quæ quidem omnia vocabula quantopere pertineant ad Homerum, patet ex una illa Maximi Tyrii diſſertatione, quæ quidem eſt præſtantiſſima ac numero ſexta & decima. Hæ igitur omnes longo ordine majeſtatem Homericam teſtantes, ſolenne feſtum ejus comitantur, cantantque,

ES NUMEN, ET TE MUNDUS ÆTERNUS TENET.

Hæc ita quum inferius in communi Græciæ eruditione agantur, majora in ſublimiori parte apparebunt. Primo enim illic, quum Homerus non contentus Græcis etiam ſatiari voluerit doctrinis Ægyptiorum, occurrit Ægyptius, quem doctorem ſuum celebravit Homerus; unde ibi in baſi ſtatutus conſpicitur, ab tergo & ſuperne appoſitam ſibi habens literam Ægyptiam, de qua multi egerunt. Ab eo progrediens Homerus juvenis (eum enim eſſe colligas facile ex hoc juvenili & accubante altius ſenili vultu, convenientiſſimo utroque) cum carminum volumine venit in Nympharum antrum, in cujus ingreſſu dedicata eſt cithara vel lyra, egregie & ex priſco ritu, ut conſtat & de Syringe narratur ab Achill. Tat. VII. 475.[1] vel quaſi ſacra, perinde ut Apollinem dicunt in antro Bacchi citharam cum tibiis dedicaviſſe teſte Diod. Sicul. III. 59.[2] vel ex communi more, quum ab paxillis ſuſpenſas fuiſſe citharas, ut prompte poſſent arripere, aut quod inſtar donarii in aliquo ædium loco dedicarent, ſcribat Scholiaſtes Pindari pag. 12. ad oden I.[3] Ibi præter arcum & pharetram eſt & pileum

1. Ανάκειται δὲ σύριγξ, ὀλίγον ἔνδον τῶν τῶ σπηλαίου θυρῶν.


2. Τὸν Απόλλωνά φασιν εἰς τὸ ἄντρον τῶ Διονύσου τοῦτε κιθάραν καὶ τοὺς αὐλοὺς ἀναθέντα.

3. Επὶ πασσάλων ἔκειντο αἱ κιθάραι διὰ τὸ ἑτοίμους εἶναι εἰς τὸ ἀναλαβεῖν, ἢ ὅτι ὡς ἀνάθημα ἔν τινι τόπῳ τῶ οἴκου ἀνάκεινται.

leum & zona , non aliter quam Cato dicebat Polybium ſicut Ulyſſen velle rurſus in Cyclopis antrum ingredi, oblitum illic & pilei & zonæ [1] . Adſtat fœmina manu dextra volumen tenens , ſiniſtræ pollice fides citharæ pulſans , quæ non poteſt alia eſſe , quam fœmina vetuſti temporis erudita , ex cujus ſcrinio ſupponitur didiciſſe non pauca Homerus, ſive illa ſit Daphne aut Sibylla Tireſiæ filia, teſte Diodoro Siculo IV. 68. ſive Helene aut phantaſia, quas collegit Allatius de patria civis ſui cap. IV. Unde ſatis patet conſtitiſſe inter veteres fœminæ adjutorio uſum fuiſſe Homerum. Ille igitur ſic formatus denique tendit ad Muſas, & per ſingulas vadens, ſalutata per ordinem Calliope, Urania, Terpſichore, Erato, Melpomene, Thalia, Euterpe, Polyhymnia, Clio, ita denique nondum cælo, (id enim Diis datum , & Claudius jubebatur cælo intra dies XXX. excedere , Olympo intra diem tertium apud Senecam , unde hæc ΑΦΙΕΡΩΣΙΣ quoque dicenda potius ex nummo Cari , quam ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ) ſed inſidet Olympo, diadematus, involutus limo, haſtam quoque tenens pro divinitate, quam in illo adſpicientes urbes poſuerat circa ſtatuam ejus ſedentis Ptolemæus Philopator apud Ælianum 13. Var. 22. Ita per Muſas progreſſus eſt ad iſtud culmen , quod ſuſpicerent

— Heliconiadum comites, quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis ſopitus quiete eſt.

1. Τὸν Πολύβιον, ὥσπερ τὸν Οδυσσέα βούλεσθαι πάλιν εἰς τὸ τοῦ Κύκλωπος σπήλαιον εἰσελθεῖν, τὸ πίλιον ἐκεῖ καὶ τὴν ζώνην ἐπιλελησμένον.



H E S I O D V S


Musarum Sacerdos, quem in Georgicis Virgilius est imitatus

Apud Fulvium Ursinum in marmore.

HESIODUS.



Sic igitur notus Homerus; nec minus bona nota tamen etiam Hesiodus, quocunque ille temporis discrimine (neque enim meum est in digitos mittere annos, quos inter utrumque elapsos non tenui varietate ab auctoribus poni legimus) utique ex omnium arbitrio gloria illi vicinus. In quo ante omnia agnoscere debemus, quod scribit Plutarchus in Numa, fuisse aliquem honorem huic ab dæmonio tributum post mortem ob carmina vel intercessione Musarum. Unde est, ut licet militari viro potuerit videri Helotum poeta, quum Homerus Lacedæmoniorum esset; tamen tanta temporis intervalla nec ingenium ejus ex memoria, nec versiculos ex usu etiam præstantissimorum hominum deleverint. In utroque placuit illa infinita dulcedinis indoles. Hinc illa tam commendata tranquillitas faciei. Sed quanto magis composita & emollita studiis mens ita in ipso carmine mirabiliter mitigato patefieri voluit? Nempe apud Hesiodum ista divisio meditationum, ut separatim mores, Deos, origines, aliaque tractaret, quæ Homerus fervidior omnia potuit conjungere, ut animadvertit Maximus Tyrius. Itaque & unus forsan est, qui vel Cumæum vel Ascræum carmen eo usque potuit attollere. Nec mirum; quum etiam ab eo solo inter omnes cives potuerit laurus comedi. Unde etiam contigit, ut in Deorum cœna dicantur Musæ surgentes cecinisse ante omnia aliquid Theogoniæ Hesiodeæ, ut scribit Lucianus, etsi contumeliose ridiculus, sic tamen etiam verus. Scilicet in templo ipsis sacro, quod sæpe visebant pro majestate sua, versus non alios nisi solos Hesiodeos, teste Pausania, amabant. Quid mirum igitur, si non modo meritus, ut in locis publicis conservaretur vultus ejus per statuas & clypeos, sed etiam ab privatis omni favore ac laude coleretur, etiamnum superstes sit gemmis incisus ac hermis, de





quo genere tres Hesiodi vel faciem vel nomen referentes, ad nostram

ætatem incolumes hic exponentur, prout eas collegerunt viri hac de caufa laudandi, quorum ingeniis quoque laudem hujus poetæ committo ac proprio cujufque experimento.



DIDO
Carthaginis Genetrix.

D I D O.



HÆC eſt illa magna imago, quam quod Tyrii quantum in ipſis fuit, non ſint paſſi omni ex parte ſub terras ire, ſed vel pulcherrimi monumenti conſpectu adſervarint, gratulari fas eſt. Hoc enim beneficio etiam poſt rogum licet intueri Didonem, non fruentem regno, nec otio deditam, ſed inſtantem attendentemque ingenti operi, quo fabrorum pars portæ molem ac minas cælo educit, altera foſſam ferit. Illa non credens alterius manibus oculiſve ipſa præſens ſuperſteſque præter ſceptrum quoque perticam, ut videtur (ſcipionem appellat *Vaillantius*, *unde hæc area petita eſt*) vel menſuram ad dimetienda opera adhiberi ſolitam manu tractare non dubitat, ut virilis animi fœminam exegiſſe acerbe, quid ſuſceptores locandorum mœnium facerent, ſcias. Unde ſolam quoque illam ſic ſtatuerunt nullo adjutore ſuccinctam. Etiam quo pateat unde venerit, appoſita eſt concha, Tyrii muricis perpetua oſtentatio. Itaque licet ignaro & invito fratre fugerit ex Tyro, & lauta divitiarum parte patriam ſimul fraudaverit; denique tamen agnita eſt Didonis magnanimitas, & tum vigens etiamnum Tyrus permiſit ab Carthagine Herculi ſuo decimas ferri, ad cognationis ſuæ jura eam pertinere judicans, tum poſtea jugo multiplici depoſito, ſub Cæſaribus memoriam nobiliſſimæ migrationis varie extulit, ut ex ſex diſparibus ac diverſis modo ob additas literas, modo ob figuras monetis apparet. In quibus & migrantem vario modo cernimus, & mox ſenatorum præparata agmina velut ſignum ab ipſa accipientia ex prætoria navi;mox etiam leges ponentem novo in Africa conſtituto ſenatui, ſed non togato; apparet denique ſpectaculo expoſita Herois inter illam Syriacam concham & navem, attingens oſtentanſque ramos palmæ, quaſi



hanc ipſa ſecum ex Syria evectam Africæ intulerit, æque ut nomen

patris Mutgo, quod petitum ex antiquioribus inter Latinos servavit Trogus & inde Justinus sagacissime in eo restitutus. Cujus veritas ut affirmetur, sicut olim Bongarsius testatus fuit adesse sibi codicem, in quo corrupte *rex multo Tyro*, unde alii segnes librarii totam vocem omittere maluerunt, legebatur; sic hodieque in vetustissima membrana Medicea legitur, quod ab illa communi codicum tribu, unde vulgo turbatur iste scriptor, non corrigitur, exspectari nequit. Quippe exinde insedit Africæ ista appellatio, ita ut Maximus Madauri testetur memoriam coli *Mygdonis* vel *Migginis*, ut quidem citant viri docti, quum verum sit *Mygdonis*. Neque dubito id ipsum nomen restitui debere in Jamblico de vita Pythagoræ cap.27. ubi citatur ΜΙΛΤΙΑΔΗΣ Ο ΚΑΡΧΗΔΟΝΙΟΣ. Id enim ipsum fuit ΜΥΤΓΙΑΔΗΣ. Et hæc igitur laudatissima fœmina, & si venia datur, Mytgias, ut sero etiam tempore ad eos quos deseruerat conciliata fuit, sic propagatam in hos usque annos sui mentionem hanc habeat.


CARANVS
regni Macedonici auctor.

CARANUS.



Hoc iſtud illuſtre etiam ſæculum eſt, cui contigiſſe legimus exordia & prima incrementa gloriæ, quam ſibi acquiſivit iſta ignobilis & inter vicinos barbaros admodum coarctatæ exiguitatis regio, ut ego opinor, olim Cetia appellata. Sed quæ coaleſcentibus paulatim gentibus & robore virtutis aucta, Græciæ tam ſemper liberæ, mox & univerſæ Aſiæ antehac nonniſi ſuos reges expertæ, ſervitutem injunxit. Ad eam rem teſtatur hiſtoria fatis placuiſſe Caranum ex Herculis poſteritate; qui Argis atque ita capite & præcipuo Græciæ loco egreſſus, & hinc quoque Græci ſermonis plura ſecum veſtigia importans, illam ſyllabam MA, ſæpius ita principio vocum apud Græcos præpoſitam, nomini quod illic reperiebat præmittens, Macetiam in vicinas linguas, & deinde ampliato vocabulo Macedoniam emiſit. Neque enim ambigere licet de illa iſtius appellationis vetuſtate, cujus pignora omnino prævalida in monumentis veteribus colligimus. Hujus igitur Carani vultum in hoc nummo, quem ſolerti felicitati & munificentiæ Clariſſimi Amici mei Jacobi de Wilde inſcribimus, ſpectari mihi imaginor. Ipſa faciei ſimplicitas & lineamenta nihil Apollineum præferentia, ipſi comarum cinni circa cervicem aliquid bona fide vetuſtum indicantes, huc me trahunt; ac præſertim averſa nummi moneta, quam



vides, caput collumque capræ tantum non frænatæ oſtentans, certiſſima adfirmatione memoriam Carani frontemque demonſtrat. Is enim ſicut capras ſecutus ex oraculo, urbem Ædeſſam ab hac memoria Ægeas appellavit; ſic religioſe poſtea obſervaviſſe dicitur, quocunque agmen moveret, ante ſigna vel eaſdem vel ex eis prognatas capras habere, ut has regni auctores etiam deinde omnium cœptorum veneraretur duces. Nec ejus ſuperſtitionis lex cum Carano videtur defeciſſe, ſed continue potius ſtirpem ex illis aluiſſe, non utique quo præirent agmen, prout ſub Carano, ſed ut capras has alerent liberas & feriatas ſeu fortunæ ſeu memoriæ hujus originis. Huc enim deducere nos videtur nummus Goltzianus Philippi, in quo ſic caprarium pecus reſediſſe, ut loquitur Solinus,

linus, ideoque hic appositum cernimus, non utique sub Carano, sed ad ostentationem simul religionis ac magnificentiæ Philippi, isto adhuc tempore ut bene meritas capras in lætis ac securis pascuis nutrientis. Is igitur Caranus est, qui magnam multitudinem Græcorum ut Justinus, Peloponnesiacam, ut Solinus, circumducens denique huc delatus, primus vestigia Græci moris ac linguæ invexit, quum antea quidquid observarent, potius derivatum esset ex continenti propagatione majorum, qui ex Asia in eum tractum confluxerant. Talis quum fuerit Caranus, nihil mirum, si dictus quoque fuerit ΑΡΧΕΛΑΟΣ, quo nomine appellatur ab Dione Chrysostomo & ab Higino fab. 119 observante Valesio ad Peiresciana Excerpta, is ipse, in quem narratio Carani & caprarum ab eis confertur; ut non tam pugna & contrarietas ex fabulando, quam ex attributo cognomine descriptio ejusdem hominis esse videatur.



FAVSTVLVS
Romuli et Remi educator.

FAUSTULUS.




Sic igitur posita imperiis futuris origine, & Africæ quidem nitorem afferente Tyria amicitia, rursus Græciam poliente hinc Carani transitu, inde Lycurgi per idem tempus legislatione, omnibusque incipientibus eniti in aliquod decus; nobilius quid peragendum majusque destinabatur Italiæ propediem circa Tiberim visuræ novam urbem priores omnes non modo laude superaturam, sed & subacturam imperio. Cujus auctorem Romulum quum fabulatio jactet ab hoc Albani Regis pastore Faustulo servatum & educatum fuisse, operam illi quoque navare non erit indecorum. Nec obstare illi debet vilitas generis aut muneris, quum jam adscitus sit Endymion pari vitam campestrem studio sectari narratus. Neque tamen omnes expositi utique ab pastoribus reperiuntur; potestque sufficere exemplo & notabilitati casus illius unus Mithradates conservato Cyro non diu post hanc ætatem. Nihilominus in historia Romuli quum ita famam habeat hic senex, ne ei invideamus, vel duntaxat ut narrationi communi satisfiat, qua geminos ille animadvertit sub lupa nutrice stratos. Itaque hoc Faustulo rem literariam donatam locupletatamque ab Museo Romano ex gemma Barberini Thesauri libentes didicimus & huc transtulimus. Sed dum bene considero, permultum ambigo an vel rite spectatus sit vel appellationem acceperit. Neque enim aut convenire huic homini videtur pendula & laxa vestis, qualemcunque eam vocare placet; aut ab Romanis fuit attributa, siquidem vere mentem urbis Romæ, indubitabili nummorum fide ad posteros proditam, inspici oportere censebimus, quod omnino fas est. Istic igitur quum liquide conspi-



cuus ille sit, locus ei attribui hic debuit tanto magis, quod nescio cur & Ursini Romana Familiarum Romanarum editio & Patini Parisina eum exhibeant similiter aperto capite, quum manifestissimum sit in nummo pileum. Non tamen ut obumbraret totam ejus frontem aut collo velut torto eam penitus averteret, prout ediderunt in Nummis Croyanis, & ex illis petiverunt temere admodum alii; sed clare satis exstaret, prout in hoc exem-

plo cernis . Rurſus ſuperior corporis pars omnino nuda , inferior ſola ſubligaculo, ut credere oportet , pelliceo ex more paſtorum velata . Talem Roma novit hunc Foſtlum , quem hiſtorici tamen conſenſu in literas contulerunt Fauſtulum , varietate magna , attamen vix probabili . Sed nunc ſpectare Fauſtulum Romuli & Remi in hiſtoria cuſtodem ſufficiat .


C·MEMMI·F
ROMVLVS
aeternae Urbis conditor.


ROMULUS.



UM inter commiſſos modo ludos Olympiacos, curſu ſuo ordinem & numerum tempori daturos, loquimur fundatores urbium & imperium, debuit intervenire paſtoria humilitas, quum narrationum deliciæ res futuras longe ampliſſimas tam ſordidis adjumentis & initiis infuſcent ac deprimant. Verum non qui ex fluviis ſervati dicuntur, utique in iis ſubmergendi periculum ſuſtinuerunt. Nihilominus macte laude iſta Fauſtulus! Verum mentio illius fieri nequivit, quin eam ſtatim ſequerentur infantis, quem ab illo nutritum tenuit fama (neque enim de eo ulterius adſeverare ſuſtinet Livius) & fata, quæ jam prima in ætate peragi cœperunt, & vultus magnificentiam in eo celebratam præferens. Hunc Romulum nobis dictitat natio ſcriptorum. Neque enim Græcas antiquitates ita perſequendi ratio eſt, ut Italicas inde exigeremus; ſed ut quidquid Græcæ artis auxilio ad nos venit, conferremus. Hunc igitur Romulum poſt argenteam monetam introductam ſpectare potuerunt Romani in ſtatua Capitolina togata, uti teſtatur Aſconius, non etiam tunicata. Unde quum poſtea per Memmios ſit elegantiſſimo nomiſmate excuſus, placuit tanto attentius ei ſimulando operam dare, quanto licentius ab vera ejus facie deviarunt hodiernæ chartæ. Perperam cælatores nummorum Croyanorum auctis in immenſum laureæ foliis, cirros barbæ ab mento & aure dependentes demum infra os incipiunt; perperam frontis ſupra naſum exſtans tuber affingunt, & hinc editio poſterior Flori. Ab his quum caverit Fulvius Urſinus in Familiis Romanis, quatuor aut ſummum quinque paria foliorum modo exhibens; Gallæus in Antverpiana editione Illuſtrium Imaginum non cavit immenſa licentia iſtud ſertum jactans, etiam initia lanuginis dependentis ordine recto, qui ori reſpondet, concipiens. Patinus multiplicatis male foliorum paribus ad ſeptena, tres lanuginis intortæ cirros recte altius extollens tres ori exæquat; ſed non frontem, non oculos, non naſum cura debita dignatus fuit; atque omnes ſive gratiam, ſive indolis acumen & lætum decus monſtrantem venuſtatem, ſive majeſtatem quoque perdunt; ne dicam Chinenſi & ingrato tractu ſetas barbæ demittentem Flori editionem. Sed & Torrentium in notis ad Suetonii Domitianum cap. 10. dum voluit accuratus eſſe, ut eſt in multis, omnino artificis fruſtrata fuit manus, tranquilli ſegniſque ingenii notis refertum vultum cælans. Nec ab hoc fuco immunis eſt diſſertationum ad Juliani Cæſares pagina XIV. ne de aliis dicam, quinque tantum in barba ſpiras agnoſcens, & tempora inter oculi canthum ac crines hiante immenſum ſpatio aperiens. Aliter illum

vidit Roma in funere Drusi, quod imaginum pompa illustre præter Æneam etiam conditorem urbis Romulum spectandum dedisse testatur Tacitus lib. IV. annal. cap. 9. Aliter unicus ille Memmianus nummus, quem exhibere exactissime conatus fui; cujus certe supremam partem pro vera firmat Plutarchus [1], dum Romulo & lauro redimitum caput tribuit & comatum. In isto igitur vultus hujus apparatu plane persevero testorque contemplari quædam Ægyptiaca, partim Syriaca, & perspicacissimæ mentis ostentantisque magnificentiæ, tum ardentis vehementiæ in suscipiendis ac perficiendis rebus indicia, quæ miror cur Sponius maluerit in illis pestiferis humanæ libertatis oppressoribus, Cæsaribus Romanis spectare, quam in singularibus Dei donis, in quibus vel eximie præstare hunc Romulum censeo. Nam ubi Romulus togatus fuerit spectatus Matthiæ Freder. Beckio in monumentis Judaicis fatenti Romulum alias togatum conspici, nullus intelligo.

1. Δάφνῃ δὲ ἐστέψατο τὴν κεφαλὴν κομῶσαν.


ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ
AMPHINOMVS et ANAPIS
Pii fratres

AMPHINOMUS ET ANAPIAS.



JAM occupabatur Græcorum, quos antiqua famæ ſuæ illecebra ſollicitabat, coloniis frequentibus Sicilia, & quo minus etiam Catana per Naxios illic poneretur, vicinia Ætnæ deterrere non potuit. Ipſe ignis augere fœcunditatem ipſius terræ creditus, invitavit adeo, ut proxima etiam & primo crateris mugitui ſubjecta loca inſidere cuperent. Abundantiam commeatum & affluentem annonæ Catanenſis opulentiam ſicuti hinc facile ſcias: ita dum non ceſſat tamen Ætna indulgere aliquando naturæ ſuæ, ſimul quoque conſternatas accolentium mentes nunc ipſo fremitu, nunc oppreſſu & ſuperventu igneorum rivorum colligas. Aliquot vices, quibus gravior & horridior vomitus vaſtavit ac conſpuit adjacentia, in tempora digeſtas publicavit Cluverius. Unum maxime annotatum fuit exemplum, quo omnibus inde ignem concipientibus & hominibus quidquid poterant convaſantibus ad migrandum, etiam dicuntur deprehenſi eſſe mater paterque cum duobus filiis, ita ut incendiis circumdati nec ſe nec quidquam ex fortunæ præſidiis liberare viderentur poſſe: quando unica pietas mentes filiorum, de ſolis parentibus ut ſatagerent, occupans, viam quoque & exitum incolumem, tunc adjuvantibus diis, poſtea etiam ſemper plaudentibus Catanenſibus, patefecit. Exceſſerunt enim, & imbecillem quoque ætatem ex flammis divinitus hebetatis vel caſu retroactis & quaſi ultro cedentibus ſecum tranſtulerunt in ſecurum, tanta popularium admiratione, ut abhinc velut inſigne præcipuum urbanæ virtutis argento publico ad hanc formam iſtos parentum bajulos oſtentaverint. Ea dolenda poſteris & hiſtoriæ invidia eſt, quod nec Catanenſes moneta nec ſcriptores, qui tam hilariter id amaverunt mandare chartis, ætatem notare curaverint, ut factum modo conſtare voluerint, de ſæculo tantæ pietatis conſcio parum ſolliciti. Hinc & Cluverius fatebatur incertum eſſe, quo tempore id factum fuerit; tantum ante Alexandri Magni ætatem contigiſſe colligit. Propterea nos quoque nunc vagari coacti perinde ac in natatione Leandri, voluimus tamen id primis Catanæ incrementis attribuere, quum & Pii Fratres & Campus Piorum nulla non memoria apud Catanenſes jactata & conſecrata fuerint nomina.



ÆGERIA DEA VEL NYMPHA
Numae Regis consilium.

EGERIA.



OMULI vultum ob justas caufas admifimus in hoc theatrum, ut opinor; nec ut Regem, fed conditorem tantæ dominationis veneramur ex lege, quam huic operi diximus. Cæterorum Regum vel apud Romam vel extra Italiam vultus ubique publicatos & fere per adulationem chartis certatim datos non patiar moram ullam facere. Itaque quum fub Numa magnum fuerit nomen Egeriæ pro cælo fuo colentis vallem Aricinam & Camœnarum lucum, adeo quidem, ut Deam falutent Livius (cui mox etiam Numæ conjux dicitur, ut & Ovidio, qui fimul vocat Nympham) ac Florus; immo fine ea ad multitudinem imperitam & rudem prorfus nulla futura fuiffent confulta regis fuperftitiofa; fpectari meretur, qualem eam vel ipfe Numa honoraverit fimulachro, feu populo Romano genius quidam dictaverit. Hanc igitur inter ornamenta *Palatii Farnefiani* locatam, & per tot cafus fervatam non minore numine, quam accenfus fervatrici Deæ in eadem valle quondam Virbius, hic quoque grate exponimus, ut fatis perite ab viris doctis nomen ei impofitum agnofcimus. Apparet enim in hac partim crine foluto vatis quoddam inftar, partim fcribentis fpecies five illa fata dicam, five Romanis injungenda facra, prout ea deinceps ipfe Rex Pontifici fuo exfcripta exfignataque attribuiffe dicitur ab Livio, indigitamenta Pompiliana aliis dicta. Scribit autem volumine explicato in genu, non pluteo aut quocunque alio menfæ auxilio ad fulciendum fubjecto, five ut inde nemoris deftituti & plane non inftructi umbram fpectator fupponat, feu ut veterum perinde ac noftrorum modo ad fubita fe parantium, nunc ita ufu etiam frequentantium in eo confuetudinem commemoret. Quippe veteres fic genubus magis adfuefactos fuiffe docet Pet. Lambecius libro II. cap. VII. Bibliothecæ Cæfareæ. Quid enim opus erit circa auctores narrationefque aut ludicra fufpicionum ex ipfo vocabulo jam Varrone præeunte difcurrere? Sunt omnia in propatulo.




BYZAS HEROS
Byzantii conditor.

B Y Z A S.



Hoc excipiendum tempus & heroi isti attribuendum fuit, quum non sustinerem unius Diodori Siculi auctoritate Argonautas illi æquævos facere; qui si jam in his locis Byzanta reperissent cum populo cui imperaverit, & unde urbi mox nomen, certe etiam navigatio per Euxinum non fuisset tam sollicita; nec amplius concurrissent Symplegades. Sed fragilitas ejus narrationis inde patet, quod in reditu demum dicantur illic Byzanta invenisse, quum prima vice prænavigantes nihil notabile ab hoc Bospori latere offendissent. Multum abest, ut cum Stephano retrogrediamur ad ætatem Ius. Quoniam ex Græca historia constat non diu post hoc sæculum magni fuisse eam urbem momenti, non ob suas vires, sed situs opportunitatem; atque ita ante Græcorum potentiam videatur condita quidem fuisse, sed solo pelamidum ac thynnorum (Tacitus rhombos annumerat) piscatu incolas exhilarans: sequor Eusebium ad Tulli Hostilii dies & Olympiadem XXX. initia ejus referentem, sive tunc & ipse Byxas vixerit, seu urbs esse & dici cœperit, postquam aliquamdiu antea heros ille in hoc tractu jam innotuisset. Certe simulatque aucta fuit Græcorum potentia, apparuit quoque singularis ex situ opportunitas; quam quisquis occuparet, is tum vectigalia ex frumenti (Græcum enim incolis non sufficiebat) Sarmatici ac Scythici circa Pontum cataplo ac salsamentorum vectura pro lubitu colligere poterat; tum annonæ caritate quoslibet ad Ægæum mare populos vexare. Hic tantopere desiderarunt possessionem ejus & Lacedæmonii, & Athenienses, ac postea Philippus Macedo. Non enim ut uteretur receptaculo copiarum mari ac terra, quam causam censuit Justinus, eam hic tentavit, sed ut Græciæ fauces fame premeret. Itaque nec potest ambigi, quin sicut post alios Græcos Lacedæmonii, mox quoque Athenienses illic coloniam statuerint, quod ex aliis, quam nobis supersunt, auctoribus clare cognoscens Ammianus libro XXII. cap. 8. vocat Atticorum coloniam. In quo non erat, quod cunctaretur Henr. Valesius, aut interventu Milesiorum id suspicaretur ab Ammiano dictum. Ista enim ratione omnes Milesiorum coloniæ jam fierent Atticorum. Certe quum eam occupavit Alcibiades, & tanto tumultu oram Hellespontí ac Propontidis commovit, omni ope hanc Byzantinam sedem confirmasse & patriæ suæ adjunxisse etiam per novos colonos videtur. Inter hæc semper retinens prisci nominis, jactare simul hunc conditorem (dignus enim est, qui ita vocetur, nec Faber ad Ursinum meruit propterea reprehendi ab Canino) suum Byzanta etiam sub Romanis non destitit, & venerabile istud caput denique propagavit ad Christianos, multos urbem fertili solo fecundoque mari

haberi ab barbaris ac non minus cæcis , quam fuerunt quondam in adverſa terra Chalcedonii , deflentes , alios ridentes , dum con-



ſortem ſanguinem ſitiunt . Quod noſtrum opus eſt , hujus faciei lineamenta petita ſunt ab manu Gallæi in Illuſtrium Imaginibus Antverpiæ editis , naſi ſpatio paulatim velut per faſtigium creſcente uſque ad imam partem , ita ut hæc notabili tandem exceſſu promineat . Sed quanto diſcrimine hinc abit Canini exemplar? ut ipſe videas , hic appoſui , naſo ſcilicet circa mediam partem plane non ſic verſus faciem reducto , ſed ferme protuberante , aut certe rectum ductum ſervante , de quo arbitrari nequeo , quum ipſos nummos inſpicere mihi non contingat .



THALES MILESIVS
VII. Sapientum primus
Apud Achillem Maffeum

THALES.



IAM ex multis apparuit, quam præclaro ausu intenderit se Græcorum cura ad poliendum orbem suum, regionesque & urbes & aquas partim cognoscendas, partim fundandas atque etiam augendas & paci dicandas; &, quum placuisset quidem jam antea coire in societates, vitam quoque per varia inventa adjuvandam. Verum omnia hæc continebantur in eis, quæ circa erant & oculis quotidie obversantia totos eos in se defigebant. Longinqua aut etiam superna, atque omnia illa, in quæ penetrare solius mentis erat opus, ut ignota, sic inculta relinquebantur. Unde invaserunt plurima, quæ imbecillitatem ejus partis sane immensam testantur, & pro numinibus potuerunt obtinere quædam nomina vel fraudis vel vanitatis. Nunc cum primordiis Romanæ urbis cœperunt illucescere ista nitidiora tempora, quæ mentem immiserunt in omnia, etiam oculis non aspicienda; novoque introducto labore, quem sapientiæ studio & nomine decorarunt, id agitatum fuit, ut non terra tantum, sed cælum quoque hominibus patere videretur. Rationem ipsam habitatum inter homines venisse scires, nisi obstitisset vis quædam major velo quasi oppanso multa statuens illi inaccessa; licet sic quoque heroicum verissime fuerit sæculum. Cujus ut quædam enumerentur hic specimina, relegere placet vestigia Diogenis Laertii, serie satis digesta hanc vetustatis gloriam persequuti. Primum igitur extulisse traditur Thaletem Asiatica Miletus, tanquam ipsa Europæa Græcia ad tantam rem inchoandam fuisset impar; qui natus illic incertum, an inquilinus, certe peregrinatus, etiam Ægyptum usque, sustinuit considerare animam, stellasque & sidera aliaque antehac vix audita loqui, non tantum ut hinc augeret voces, sed prospiceret quoque aliqua futurorum: quin & ad Deum cogitationes sustulit. Atque ita vir hic unidiquaque maximus & sapientissimus merebatur in omnibus bibliothecis poni, dignaque erat facies ejus, quæ tam studiose conversa ad res cunctas spectandas ab posteris reverenter spectaretur, nisi calamitas publica huic officio intulisset vitium. Equidem video infrenem licentiam, qua nuper facies austera & plane non præferens *Mite Thaletis Ingenium*, Diogeni Laertio immixta est venditata eo titulo, quasi exstaret *apud Achillem Maffeum in marmore*; scilicet tam potente & valida auctoritate Bellorii, qui quum etiam vultui subscripsisset *Apud Achillem Maffeum*, in expositione addit *Hujus Philosophi caput ex marmore nomen collo incisum habet* ΘΑΛΗΣ, *extabatque apud Achillem Maffæum*. Quæ si ita simpliciter vera essent, ac pro talibus habenda, atque a nobis excipienda; an credimus Principem harum rerum Fulvium Ursinum passurum fuisse, ut

eruditiſſima ejus collectio ſpoliaretur tam nobilis capitis ſidere? Et tamen videmus illam Antverpiæ editam omnino reſpuere vel mentionem hujus obeſi capitis. Sed ante omnia quum Lafrerius anno præcedentis ſæculi LXIX. ederet illuſtrium virorum, ut exſtant in urbe, expreſſos vultus, eiſque præfaretur Achilles Statius anno LXVIII. ubi primam paginam obtinet hic Thales ſcribiturque exſtare apud Achillem Maffeum; per eundem Ant. Lafrerium ſcribere ita auderet Fulvius veri tenax, quum fuiſſet queſtus ſubleſte nonnullis Hermis ex Hadriani villa erutis aliena capita a quibuſdam fuiſſe impoſita; *quod tamen eſſet aliquo modo iis ignoſcendum, quia antiquo trunco antiquum caput, etſi non ſuum, reſtituerunt, niſi veteribus quoque quibuſdam imaginibus non ſua ipſi nomina addidiſſent, ut in Thalet, & in utraque Diogenis imagine fecerunt; quæ quia in antiquarum imaginum nuper impreſſum librum irrepſerunt, volui vos admonuiſſe, ne, veritatis ignoratione, falſa ac ſubditicia inſcriptione deciperemini.* Iſta cautela utique, quum ipſam hanc faciem amovere hinc mihi non liceret, adponenda nunc fuit, ut videant, quæ merces temerariæ iſti venditationi debeatur, qui ea utuntur. Præterquam quod ſi vox ΘΑΛΗΣ foret antiqua, dubitari poſſet, quis potiſſimum ex multis fuerit.



SOLON

Ex ſeptem Sapientibus, Græciæ

Apud Fulvium Vrsinum in gemma.

S O L O N.




ECUNDUM in illo choro locum ab Diogene Laertio accipit hic prudentiæ inter Atticos eminentiſſimus , & exſtiturus princeps civis , niſi ſtultitia genium illius populi tunc invaſiſſet . Unde poſt hanc eis veriſſimo cum exitu exprobratam ex patria tantum incolam non capiente egreſſus fuit , ut magnitudinis & ſapientiæ ſuæ plura ſpargeret experimenta , paſſim enarrata , & ſtudioſius collecta ab viris doctis , quam ut nobis vacet inde aliqua delibare , quæ potius conjuncta placent . Certe propter hæc & in urbe ante portum Pœcilen ſtetit æneus teſte Pauſania , & ſimiliter conſpici amavit [1] , ſi credimus Dioni Chryſoſtomo , in patria Salamine , quo transfretantes Athenienſes diſcimus ex Æſchine contra Timarchum ire ſolitos in forum ad ſpectandum Solonem manus continentem intra pallium . Utinam ex his aliquam aut ſpectare hodie poſſemus ! aut media tempora , quæ ex eiſdem cognoſcere Solonem potuerunt , tanti hominis faciem gemmis aut marmore vivis lineamentis expreſſiſſent ! Etenim quum Urſinus in editione vetere exhibuiſſet eum forma exigua & fere nullis propriis ſignis agnoſcenda , etiam non addito , quod genus vetuſti monumenti eſſet ; majore cum gravitate in poſteriore dedit Gallæus , teſtatus ita exſtare apud Fulvium Urſinum in gemma , quam Faber nominat Sardonium , dicitque cælatam eſſe faberrime , & inſcriptum habere nomen ΣΟΛΩΝΟΣ , quum ipſe Urſinus ediderit ϹΟΛΟΝΩϹ . Itaque id exemplum huc referri placuit , niſi quod operæ appellationem inverſis literis adjunxerint . Addit : *Exprimit ætatem ejus annorum* LXXX. *quot ipſe vixit . Eadem autem imago viſitur & in cameo veteri Hermæ forma , & in marmore quodam , in quo nonnihil furor ille Solonis videtur expreſſus* &c. Sed Caſp. Gevartius Romæ appinxit aliud clypeum , cui ſubnotavit *In gemma adſcripto nomine Dioſcoridis* , quod bona fide hic collocavi pri-



mum . Et ſane hic debet ipſe & Solon & Dioſcorides eſſe ,

1. Μέγα ποιέμενος.

quem utrumque Aquis Sextiis vidit Jacobus Sponius, ut testatur in Miscellaneis Eruditæ Antiquitatis pagina 122. ubi ejusdem Mercurium producit. Aliquo etiam modo is accedit ad vultum Solonis, qui ab eodem ex nummo perraro ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ vulgatur ibidem pag. 140. unde novit eum quoque illustrator nummorum Parisinus, nisi quod vertex noster jam incipiat destitui crinibus, qui satis densi illic eum vestiunt. Secundum Solonem ex Museo Romano huc traduxi, cujus auctor e thesauro Barberino in gemma sarda talem quoque paululum inflexo naso eum exhibuit, etiam capillis ita semiflexis. Addidi & tertium ex Thesauri Palatini pagina *66.* quo tamen ego non magis reor Solonem monstrari, quam Ciceronem illa gemma paginæ 71. quæ nihil Ciceronis in se continet. Vultus iste verum Philemona refert, ut patebit ex comparatione gemmæ vel in isto ipso Thesauro mox folio sequente expositæ, vel apud Leonardum Augustinum num. *16.* cui suus locus in hac serie dabitur. Hinc ignoro, quis ille Solon in Diogene Laertio referatur *apud Fulvium Ursinum in gemma*, vultu quidem vivacissimo & capite crinibus operto, qualem nec ipse Ursinus nec alii ab eo dederunt; nedum ut inciderent ΣΟΛΩΝΟΣ.



PITTACVS
Vnvs ex ſeptem Græciæ ſapientibvs
Ex Numismate aereo apud Fuluium Vrsinum.

PITTACUS.



T hi quidem duo temporibus Crœſi fuiſſe perhibentur, quibus addi debet hic Pittacus, egregius Lesbi inſulæ & in ea urbis Mytilenæ civis & certe ſoſpitator, quum non modo preſſam tyrannide liberavit, ſed & Athenienſes partem inſulæ tentare jam aggreſſos expulerit. Quin & moderationis laudatiſſimæ exemplum nobile dedit principem locum a civibus ultro oblatum & per decem annos poſſeſſum, ita ut medio tempore optimum reipublicæ ſtatum paraverit, deponens, ac ſine periculo per totidem annos mox ſuperſtes. Sed multa hæc fuerunt in perfectiſſimo viro, & ubique narrantur, ut inter Solonas ac Thaletas merito ponatur. Verum in conſpectu ejus animadverto non ſatis lepida diſcrimina. Hic quidem repetitus eſt ex exemplo Bellorii, qui ex numiſmate æreo apud Fulvium Urſinum ſcribit ſe retuliſſe, adnotatque: *Ejus imago deprompta eſt ex antiquo æneo nummo, quem Mytilenæi in honorem illuſtrium ſuorum civium Pittaci & Alcæi percuſſere. Circa ipſam imaginem nomen Pittaci inſcriptum eſt* ΠΙΤΤΑΚΟϹ. *Hic nummus olim viſebatur apud Fulvium Urſinum, apud quem etiam Pittaci ipſius ex marmore caput extabat.* In quibus nihil aliud quam repetit voces Jo. Fabri ad eaſdem ſæpe citatas imagines. Et unde igitur in tabulam ejus venit ΦΙΤΤΑΚΟϹ? Sane circa hanc partem negligentia quædam ab eo commiſſa eſt ſatis abſurda, unde etiam ſcribit *circa* XIII *Olympiadem* floruiſſe. Quippe & diviſio ſyllabæ ΦΙΤ ab duabus ſequentibus & litera Φ declarat non ex Urſino fuiſſe petitum, ſed Canino, quum Urſinus ſeparet ΠΙΤΤ-ΑΚΟϹ. Tum Canini frater ſic annotavit; *e tolto il diſegno della teſta di Pittaco, col nome* ΦΙΤΤΑΚΟϹ *dal roverſcio del quale v'è l' effigie d' Alceo poeta da Mitilene.* Ita de Urſino celat, & de loco ipſius, quem citat, nummi nihil indicat, & ſe ridiculum facit, quum interim Harduinus inter tot Mytilenes nummos hunc prætermittat. Sed neque frontem recedentem in Canini vultu,



nec pilos ab vertice ad eam demiſſos ſimplice ductu Belloriana

 manus

manus ſatis fideliter expreſſit, in artificii ſubtilitate monſtranda operoſior, quam plano veritatis tractu exhibendo. Marmor Urſinianum, quo Pittacum ſimulari indicat Faber, inſpexit poſtea Gevartius, & hoc exemplum inde fecit. Sed eam demum pro vera habendam opinor, quæ ab Gallæo, ut videtur, accuratiſſime ex nomiſmate excepta fuit, quod facile colligitur ex cognominibus Pittaco ab Alcæo datis, quibus eum appellavit tum ΦΥΣΚΩΝΑ ΚΑΙ ΓΑΣΤΡΩΝΑ, idque ideo, quod craſſus eſſet [1], ut notat Diogenes Laertius; tum ΑΓΑΣΥΡΤΟΝ, quod diſſolutus, negligens atque etiam ſordidus eſſet [2]. Hæc nequaquam videntur promitti ab vultu per Bellorium aut Caninum edito, ſed quem Gallæus dedit, reſque digna eſt, quæ ex nummo ſtudioſius explanetur.

1. Ὅτι παχὺς ἦν. 2. Ὡς ἐπισεσυρμένον καὶ ῥυπαρόν.



ALCÆVS MYTILENÆVS

Vnus ex novem Lyricis, qui apud Græcos celebrantur aureo plectro donatus

Apud Fulvium Vrsinum in nomismate æreo.

ALGÆUS.




In eandem ætatem plura & clariſſima ſimul ingenia incurrunt, diverſis etiam ſtudiorum partibus delectata. Quibus qualemcunque ordinem adſignemus, ab Pittaco ſeparari Alcæus hic nequit. Quos ſicut natalis locus & ætas junxit, ſic ipſa civitas Mytilene. Etiam idem æs ad poſteros hoc par prodidit. Quod quum teſtentur omnes fuiſse inter cimelia Urſini, neque quiquam alius ſe quoque ſcribat in eandem fortunam veniſse, mireris ſane, cur non Gallæi manum exacte ſtudeant exprimere. At Bellorius, quem ſequuta ſunt hæc exempla, non modo vitioſe depravavit MYTHA, inepte etiam ut caput ſic literas invertit. Caninus priore errore non ſolum obtento in clypeo nummi, ſed ultra in expoſitione auſus citare AAKAIOC-MYTHA. nec ſe teſtatur poſsediſse nummum, nec Urſinianum ſibi conſpectum fatetur, quum tamen lineas ita duxerit, ut tota auris pateret, quæ apud Gallæum tota fere pilis operta, naſi tractu longe alium quoque in conſpectum deſinente, ut patet ex his adjunctis, quorum prius eſt Gallæi, alterum Canini. Et tamen



velut non alius publico diu ante gratificatus eſset, abſurdus ille interpres ad columnam Trajanam ſcribit pag. 212. *quibus ex Joanne Angelo Caninio in ſua Iconographia adde Alcæum & Pittacum in nummis Mytilenæorum*. Sine dubio vidit multos. Sed ne veſtis quidem ſupremam oram voluit ex Gallæo, hoc eſt, ipſo nummo retinere Bellorius, quin neſcio quo nodo ante pectoris & juguli confinia eam coerceret, nec abludit Caninus, ſane non ex Græco habitu. Utique id diſcordiæ genus plane execror, præſertim quum gemma quoque in Theſauro Palatino crines perinde denſet flectatque ac verticem exaltet, ut nummus Urſini, quam vides tertiam appoſitam. Meretur enim naturæ manus inviolata, quum id licet, ſervari in præclaro hoc viro, qui delicias ingenii tam multiplici & amœna varietate ſonorum & cantuum protulit, ſimul & aliis ad imitandum modos dictavit, quibus tantopere ſe delectaverunt poſtea Græci alii pariter ac Latini; atque hinc ſapientiſſimi Grammatici enixam adeo operam dederunt, ut Alcaici car-


carminis diverſitates apprehenderent ac monſtrarent. Reliqua de Alcæo nota ſunt, quæ ſic bene dixit Jo. Faber, ut & Caniniana & Belloriana & quæ leguntur apud poſteriores lexicographos, „ſint nihili. Sic autem ille prior ſcripſit: Caput Alcæi, qui unus „fuit ex novem lyricis Poetis, ex antiquo nummo æneo exhibi- „tum eſt, in quo legitur MYTIA; qui nummus inverſus caput ex- „hibet *Pittaci*, unius ex ſeptem Græciæ ſapientibus. Cuſus eſt au- „tem a populo Mytilenenſi in honorem ſuorum civium, ut & „ſibi quoque id honori eſſet, cum *Pittacum* & *Alcæum* eo monu- „mento Mytilenis oriundos oſtenderent: ſicut & in alio quodam „nummo argenteo Sapphus Poetriæ effigiem expreſſerunt, quod „& illa Mytilenæa eſſet.



SAPPHO POETRIA

Ex Schedis Pyrrhi Ligorii in Bibliotheca Vaticana

S A P P H O.

ON placet ex inſula Lesbo etiamnum oram ſolvere, & felicitate ejus non penitus inſpecta conſcendere ad alias regiones, quum advertat nos decimæ Muſæ ingenium. Sic enim appellata fuit Sappho, ejuſdem inſulæ ſuboles, & ex qua urbe, dicit Herma, quem inter duas nummi ab Urſino editi areas expoſuit Bellorius ex ſchedis, ut ait, Pyrrhi Ligorii. At vero Urſinus ipſe Mytilenis natam eſſe ſtatuit; nec temere, quippe Ariſtotele & Polluce auctoribus, qui dum ejus imaginem nummis ſuis ſignaſſe Mytilenæos ſcribunt, ſimul conjunctionem & cauſam ejus honoris affatim manifeſtant. Ita vides ambiguitatem vetuſtam, vel magis confuſionem duarum, nunc quoque referri. Et ſane iſtum Hermam longe prægravat auctoritas fideſque nummi, quem Urſinus tacet penes quem fuerit: at Gallæus dominum ejus Cardinalem Farneſium fatetur, quod ipſum non aliter retulit Bellorius, ac ſi de ſuæ editionis tempore ageretur. In nummo igitur fidelior ſupponetur auctoritas, quum ab eo nimium diſcedat Hermæ vultus. Certe eum ſervatum fuiſſe „ patet ex his item Urſini verbis: Silanionem quoque Sapphoni ſta-„ tuam ex ære feciſſe refert Tatianus in libro adverſus gentes, „ cujus in oratione contra Verrem meminit Cicero, fuiſſeque in „ Prytaneo poſitum id ſignum ſcribit, & a Verre ſublatum. Pau-„ ſanias tamen Athenis in arce prope Anacreontis imaginem Sap-„ phonis ſtatuam collocat, eam fortaſſe, quam ſcribit Plinius a „ Leonte factam eſſe. Ut ſcias eam in Græcia paſſim fuiſſe admirationi: ſimul ut ſcias, unde hauſerit ſua Faber, apud quem hæc ipſa reperies. Atque interim refert audire porro indicium Fabri „ ſcribentis: Eadem Sapphus imago in Cameo ſaberrime facto apud „ Urſinum ſpectatur: itemque in alia gemma: cujus utriuſque „ hoc diſcrimen eſt, quod unius caput lauro, alterius hedera coro-„ natum ſit. Interim mirari non deſino, cur nummum inſignem ex Goltzii Græciæ inſulis nemo huc applicare voluerit, qui diverſo habitu hanc poetriam in utroque latere exhibens vel digniſſi-



mus eſt qui non illic tantum conſpiciatur. Quin etiam ſicut illic

ſpectas in laxa veſte ſtantem, ita felix ſolertia Sponii invenit eandem quoque ſedentem. Ea ipſa eſt, quam tertiam in hoc ordine vides, acriter ſcilicet exſultantibus Mytilenæis ob civium ſuorum utriuſque etiam ſexus celebratam mirifice indolem. Quæ enim vulgo de hac fæmina narrant, repetita ſunt ex G. I. Voſſii Inſtitutionum Poeticarum libro II. & III.



ANACHARSIS

Philoſophus admirandæ ſapientiæ inter Scythas.

Ex gemma antiqua

ANACHARSIS.



NON debuit contextus horum nominum interrumpi, licet interim lumina quædam alicubi exſtiterint, quæ magis vicina & coæva quoque fuerunt prioribus quam poſtremis. Qualis eſt Anacharſis, Scytha philoſophus, ita in eo junctis, quæ coire non poſſe homines ante crediderant; vir ultra morem ſobrius & continentiſſimus & paratæ facultatis ad congruas altercationes. Hinc non ſuæ tantum terræ vel doctrinis vel ingeniis formari voluit atque etiam iſtic latitare, prout videtur in uſu antehac fuiſſe, ſed verſus meridiem, inchoante jam opinione ſapientiæ Græcorum ſpargi vel ultra Euxinum Pontum, relicta aula & ſpreta principalis faſtigii, quod frater ejus tenebat, gloria, peregrinatus fuit. Sic Soloni, ſic Periandro familiaris venit; ut clara documenta perhibent; ſed quidni etiam omnibus illo tempore inter Græcos eminentibus? Certe & de ipſo Crœſo teſtabatur Diogenis Laertii tempore circumlata epiſtola Philoſophi ad illum, & de Hannone altera apud Ciceronem; ut ex Europæa Scythia veniens Africanos peræque ac Aſiaticos voluerit cognoſcere, vel admiratores ſui fecerit. Id quod ita factum fuit, reſpicere videtur Lucianus, a quo Anacharſis inducitur petere ab Toxari, ut velit ipſi monſtrare quoque ΑΝΔΡΩΝ ΤΟΥΣ ΒΕΛΤΙΣΤΟΥΣ. Sic res quædam per eum dicuntur vel inventæ vel in Græcos primum deportatæ, quarum laus ab nonnullis ei negatur. Mirabilem iſtius viri continentiam eloqui ſemper mihi viſa eſt hæc facies, quam Leon. Auguſtinus ex gemma corniola proferens ignorabat quo referret, ac propterea id nomen exemplari meo adſcripſeram; quod video nuper quoque ſic placuiſſe in editione Diogenis Laertii. Neque enim, licet unum Scythæ calvi caput proferat Caninus num. XXI. & apud Arimphæos Scythas ſcribat Plinius capillum probro exiſtimari; idcirco etiam alios omnes fuiſſe ſupponas, nec Anacharſis fuit Arimphæus; ſed ex illa regione, quæ non multum diſtabat ab Boſporo [1]. Quin etiam ex illis Scythis veniſſe Anacharſin, quorum menta non erant glabra, colligi poteſt ex Luciano, quum ait ei in Ceramico obvium apparuiſſe Toxarin jam Græco more veſtitum & ſubraſo mento [2], quod ſcilicet ipſe Anacharſis, nuper ex Scythia, tale non habebat. Quis neſcit Menagium notaſſe ex Nicolao apud Stobæum, fuiſſe ex Galactophagis?

1. Ἐπὶ Βοσπόρῳ, ὅθεν οὐ πολλὴ ὁδὸς ἔμελλεν αὐτῷ ἔσεσθαι οἴκαδε ἐς Σκύθας, ut ait de eo Lucianus in Scytha.
2. Ἑλληνιστὶ ἐσταλμένον, ὑπεξυρημένον τὰ γένειον.



BATTVS

Coloniae ex insula Therâ versus Cyrenas dux.

BATTUS.



His ipsis annis intervenit Ariſtoteles, Batti cognomine celebratior etiam poſt nodum linguæ ſolutum, ut colligitur ex nummis Cyrenenſium, qui abolito velut vero nomine paſſim ita conditorem ſuum appellant. Horum enim urbs ad montem priſco nomine Cyran per eum ac Therenſes poſita, fauſtiſſimis ſi ulla alia auſpiciis, ſicut ſtirpem poſteritatemque ejus curavit & Battiadas apud ſe libenter dici audivit; ſic ipſum caput magno in honore habere non deſiit. Neque enim memoria ejus per conditam modo urbem erat jucunda, ſed etiam ſingulari numinis auxilio memoranda, quum obligatam nec in omnes motus ſolutam linguam conſpectus leonis tam cito agitaverit, prout oraculo fuerat prædictum in ea regione fore. Itaque Batti nomen in hac Africæ regione mentibus ac linguis fuit magna cum voluptate infixum, unde nunc quoque viri docti iſtum Battum in pluribus nummis cernere ſe ſuſpicantur. In quo ut experimenta iſta auctoribus relinquimus, ita certa & fida ejus monumenta perſequentes in hoc primum conditorum cernimus, & ad ejus memoriam alterum nummum præterire nos non oportet. Eſt ſcilicet ille ipſe, quem inſeruit Obſervationibus ad Pom-



ponium Melam Iſ. Voſſius, qui caput umbriculi, prout ineptiſſime judicat, ita fingit ut aures ex media pilorum denſitate vix eminentes oſtendat, quum in nummo clare ex cutis ipſius ſede & parte nondum pilis obſita ſurgentes imas quoque partes videre liceat. Et is tamen per has ineptias multos fecit umbros. In altera area fingit bovem cornua patula exſerentem, quum in nummo nulla ſint cornua, ſolæ duæ aures, ſatis manifeſtæ & exactæ. Tum roſtrum plane eſt acutius, quam ut poſſit exiſtimari bovinum, & prout nunc exhibeo, ita palam in rictum diducitur, ex quo patet aliud longe quid eſſe. Omnino id caput, in quo ille umbriculum venditat, eſt veriſſimum caput leonis & egregiam ſervat memoriam reſtitutæ Batto vocis ex inopinato & conſternante occurſu leonis, prout ex Scholiaſte Callimachi [1] modo oſtendi. Al-

1. Καὶ ὁ Βάττος ἦλθεν εἰς τὴν Λιβύην. λέγεται δὲ εἶναι πολλοὺς λέοντας ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ. ἐπιδημήσας οὖν ὁ Βάττος, καὶ λέοντα αἰφνιδίως θεασάμενος, τῇ τοῦ φόβου ἀνάγκῃ βιασθεὶς φθέγξασθαι, διέρρηξε τὴν φλέβα, ἥτις τὴν ἐκείνου φωνὴν ἐπεῖχε, καὶ οὕτω φωνήεις ἐγένετο.


terum animal videtur eſſe proprium Cyrenaicæ, quæ ΚΤΗΝΕΩΝ ΠΑΜΦΟΡΟΣ, ut dicitur in loco Arriani citato in Obſervationibus, greges etiam agnoſcente illic Pomponio Mela, iſtud quoque oblongi capitis & in acumen inſigne deſinentis pecus protulit.


PHERECYDES
ex Scyro philosophus

PHERECYDES.



ICUT divinitus plurima coierunt ad gloriam horum temporum ; ita vel minimum collectu dignum videri debet, nec quidquam negligi qualitercunque nobis relictum. Propterea quum vetustatis non utique penitiſſimæ ſuperſit monumentum, in quo iſte dictis factiſque & ſcriptis quoque excellens, & in ſapientia colenda vel princeps ex inſula Syro Pherecydes, notabiliore tamen & ampliore vultu deſcribitur, judicavi inde eſſe excerpendam iſtam partem, ut recognoſceretur Pherecydes. Nec vituperes oportet, quod is hoc demum ponatur loco, quem nonnulli jam Thaletis fuiſſe ſcribunt magiſtrum. Nos enim nequaquam illi ereptum imus hanc gloriam, ſi modo vera eſt. Cæterum diſſentire ab Cicerone non placet, dum gentili ſuo regnante eum fuiſſe tradit, qualicunque etiam vitæ parte. Certe ſic potuit tangere Crœſi ætatem, ſic Pittacum audiviſſe, ut vult Diogenes Laertius ; ſic præceptor quoque fuiſſe Pythagoræ, quo diſcipulo eum cenſendum arbitrata eſt univerſa antiquitas, ejuſque judicii opinio potiſſimum traditur in monumento, ex quo ut deformatum dixi grandem iſtum vultum, ſic quo omnia appareat clara eſſe & approbare explicationem nuper editam in Spicilegio Antiquitatis, ex illo ipſo longius ſegmentum etſi contractius hic appono. Quid enim de iſto Pherecyde



plura? Diligenter adeo copioſeque id præſtitit Jo. Gerh. Voſſius in Hiſtoricis Græcis & commentatores Diogenis Laertii ad vitam ejus, ut ridiculi ſint, qui eadem chartis aliis illinere ſuo nomine ſuſtinent.



STESICHORVS HIMERENSIS
Inter Poetas gravitate laudatus.

STESICHORUS.



N eosdem pariter dies coniici debet hic non Hesiodi poetæ filius etiam appellatus Stesichorus, sed juniore natu & ex altera regione, nempe Sicilia, unde Himera clara & ornata, ut Ciceroni dicitur, urbs tum varietate fatorum, tum situ, etiam tali cive exsultavit. Non enim modo eximie crevit illa urbs, ac vicissim casus etiam dolendos perpessa est Carthaginiensibus expeditiones suas Siculas continuantibus, ut notum est: sed ab thermis suis & famam & opes nacta, Stesichori quoque sui doctrinam & hinc imagines jactare potuit. Earum scimus unam tanti fuisse, ut per expugnationem satis celebrem Pœnorum devecta Carthaginem, sic apud Pœnos etiam nota, sic conservata fuerit, itidemque postea per Scipionem Carthaginis eversorem recuperare eam Himerenses in beneficio posuerint, judicantes sic fortunam & dignitatem patrum ipsis restitui; quippe quum Stesichorus fuisset quidem Himeræ, sed fuisset etiam tota Græcia summo propter ingenium honore & nomine. Hoc est Ciceronis verissimum de hoc viro encomium. Sed erat ea statua senilis & incurva, cum libro. Nostra hæc facies juvenilis est; ut inde appareat cujusque ætatis statuas fuisse custoditas, si non aliis, certe choraulis ac chorocitharistis id agentibus, ut maneret inter vivos pater chori, quem ille primus stitisse ad citharam colligitur ex ipso nomine, quod antea ei creditur fuisse Tisiæ, ut notavit Suidas. Quæ quum magis ad lepores ludicros & lasciviam adhiberetur, ipse ad hymnos, prout traditur, ab ipso quidem etiam primum inventos ita adaptavit, ut eis inclusam Epici carminis materiam lyra sustinuerit, teste Quintiliano, ut jam notatum ab nonnullis. Sed præcipue auctoritatem, immo majestatem inventionis ejus ac hymnorum sic maxime deprehendimus, quod ipsam Geographiam ferme ordinare videantur potuisse. In illis enim mihi certa fabulæ admixtione videtur locutus fuisse de Himera amne, quasi ex uno ostio emissus discerneret se in duos alveos, altero meridiem, altero occidentem petente. Sic enim interpretor notabilia illa Vibii Sequestris verba; *Hoc flumen in duas findi partes ait Stesichorus, una in Tyrrhenum mare, altera in Libycum decurrere*; quibus indicatur primus auctor illius descriptionis, quæ tam temere in Geopraphiam admissa fuit, quum ille indulgeret fictioni poeticæ. Sed quo minus in hac parte id miremur, is ipse Stesichorus est, a quo fluxit [1] tota illa fabulatio de armatæ Minervæ progressu ex Jovis capite; ut miram quantam oporteat fuisse hujus hominis fidem ac speciem, qua etiam vi-

1 Scholiastes Apollonii IV. 1310. Πρῶτος Στησίχορος ἔφη σὺν ὅπλοις ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ἀναπηδῆσαι τὴν Ἀθηνᾶν.

vus permovit illum acerbiſſimum Phalarin, ut innoxie concederet Steſichorum vacare lyræ [2], & mortuum eundem ſic affecit, ut ſummos honores illi decerneret.

2. Epiſt. 93. Στησίχορον ἄνετον εἶναι, καὶ σχολάζειν πρὸς τῇ λύρᾳ τῇ ἑαυτοῦ.




ATTVS NAVIVS
ſpectante et mirante Tarquinio
cotem novaculá ſecans


ATTUS NAVIUS.



ED ab pallio ad togam revocat nos tempus, quod fere nimium in Græcia fecimus. Tarquinii Prisci regnum ut ipsum eventu augurii insigne est, ita accessione mirifica honorem & sanctimoniam auguratus Romæ jam antea per Numam introducti extulit. Quum omnia in recenti urbe auctibus egregiis crescerent, etiam justissimis de causis equestris aciei vires ita augere constituebat rex, ut quum per centurias tres separatis appellationibus divisas descripta esset, totidem & mox plures centurias novis nominibus insignes adjicere cogitaret; sane optimo publico, si primam speciem respicias. Sed augur tunc Attus Navius præclaro regis consilio obviam ire sustinuit ac vetare, quo minus instituta ab Romulo nomina centuriarum, tanquam augustiora quam quibus posterior ætas adjiceret paria, ullo similium nominum invento ab futuris regibus obsolefierent. Historia notissima est, quemadmodum ne quid fraudis, ne quid superstitionis lateret, veritus Rex novacula denique non citius jusserit secari cotem, quam sacerdos exsecutus fuit. Quod quum sit ultra humanam fidem, testatur Livius nobilissimi & verissimi portenti memoriæ servandæ causa statuam Atti positam capite velato in comitio, in gradibus ipsis ad lævam curiæ, quo in loco res acta fuerit; cotem quoque eodem loco sitam: Festus Pompejus novaculam illam ac cotem sub locum consecratum defodi jussam ab rege. Horum omnium fidem quum instauraverit nuper penes Regem Galliæ nummus nusquam ante mihi indicatus, rarissimum illud monumentum inseri a me his oportuit vel ideo, quod ipse rex Tarquinius adeo præclaram ibi statuam obtineat, qualem in Capitolio Romani quotidie videbant, nobis quidem illam penitus ereptam, nisi quid vanis cælatoribus in Antiquitatum Romanarum tabula geminam Capitolii imaginem exhibente credere licet, aut nuperis conjecturis, illis a veritate quidem remotissimis. Vides etiam in Navio habitum auguris per illa tempora, non apicem erectum capite gerentis, ut alibi augures, sed tantum velo caput obducentem, atque ita cotem novacula diffindentis, unde Tarquinius ille nihil nisi centuriis tribus auxit, ut convenientissime & eruditissime loquitur Florus.


ΠΥΘΑΓΟΡΗϹ ϹΑΜΙΩΝ
PYTHAGORAS
Philosophiam primus, hoc est sapientiæ studiosam, appellavit
Ex nummo æreo in Thesauro Christinæ Reginæ Aug.

PYTHAGORAS.




Nec minora tamen aut pauciora, imo vel majora & plura miracula narrantur de Pythagora, qui in insula Samo natus, sed dominationem unius gravatus, maluit inde aufugere, perque loca peregrina aut sola vagando revereri vel in itinere obvios quoscunque aut seipsum, quam in patria monarcham & sub eo magistratus. Itaque regiones, quæ sedem eruditioni tunc præbebant, sequutus, ut potuit, ea consummavit, quæ in patria accipere tener inchoarat. Sic vitam ille incomparabilis vir gessit magnis voluminibus vix enarrandam; & quod non partem ejus tetigit? Ex eo quæ ad nos spectant, & propter quod nomen illud gloriosum sane huc advocatur, hic vultus facit, quem fere spirantem servavit pietas Samiorum nummo insigentium, sero quidem, & plane sub Commodo; itaque primum conspectui publico oblatus fuit ab Ursino, cujus notam oportet ut cognoscas: „Ejus autem viri imaginem Samii, ut Sami „natum Pythagoram indicarent, in æreo nomismate signarunt, „radio signum aliquod in sphæra tangentem, & fortasse vagum „stellæ Veneris motum, quem primus deprehendit designantem, „de quo Plinius lib. II cap. 8. *Infra solem ambit ingens sidus appella-„tum Veneris, altero meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum solis „& lunæ. Præveniens quippe & ante matutinum exoriens luciferi nomen „accipit, ut sol alter diem maturans; contra uno ab occasu refulgens nun-„cupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque lunæ reddens, quam na-„turam ejus Pythagoras Samius primus deprehendit, Olympiade circiter „XLII, qui fuit Urbis Romæ annus CXLII.* Animadvertit hoc primus „Nicolaus Florentius Batavus amicus meus & Romanarum anti-„quitatum bene peritus, qui mihi nomismatis copiam fecit. Sic ingenue vir ille doctissimus veritati testimonium reddit, quod posteriores suppresserunt omnes. Non Faber, non Bellorius, non Morellius quidquam dicunt se habere, quod iste Batavus debeat



sibi imputare. Sed etiam nihil dicunt erudite, quod non sit melius dictum ab Ursino. Cæterum in hujus ista parte hæreo, qua dicit radio signum aliquod in sphæra ab eo tangi. Non enim i-

ſtius radii ullum veſtigium in nummo, quem ſuperpoſuit. Gallæus quoque invertit literarum ordinem, qui apud Urſinum incipit ab globo plane non laudandum in morem, quem tamen ſequutus eſt Bellorius, dum prætexit nummum æreum in Theſauro Chriſtinæ Reginæ, nequaquam culpandus, in eo etiam, quod ſiniſtræ inſerit baculum, priorum nulli agnitum, unde omittitur rurſum in editione Diogenis Laertii. A quibus omnibus deviat nummus Regis Galliæ, prout edidit Morellius, deſcribens Pythagoram illic ſedentem virga globum columnæ impoſitum regere; Harduinus ad locum Plinii, quem omnes ex Urſino mutuantur, quum & ipſe in Cimelio Regio eum vidiſſet, baculo ſtellas in globo ſignantem, atque ita repetit in Nummis illuſtratis. Hunc igitur etiam hic conſpice. Interim in Urſiniano, quem habeo ſimpliciſſimum, videtur barba ejus deſinere in acumen tenuius, quam vulgo attribuunt. Quod ad reliquam faciem pertinet, ſume frontem naſumque Antonini Pii, ac barbam Lipſii, habebis univerſam faciem, quam Pythagoræ vides affingi in vulgatis figuris. Quapropter Urſinianus nummus ab Batavo primum monſtratus, huc quoque applicari debuit exactiſſime ſimulatus, quem cernis ſecundum. Tertium vero & ipſum inſigni diverſitate præbet lautitia alterius Batavi, Clariſſimi noſtri Jacobi de Wilde. Nam quem Harduinus ſub Trajano Decio percuſſum ſcribit, atque etiam in eadem tabula profert Vir Amiciſſimus, de eo nihil habeo quod dicam. Cæterum oportet addi verba Fabri ad imaginem Urſini: „Similis eſt imagini illi, quam gemmæ nonnullæ anulares exhi„bent, quas Pythagorici alicujus fuiſſe veroſimile eſt. Sed ſimi„lior eſt reliquis illa, quæ in gemma (quam *Niccolum* vocant Ita„li) inſculpta penes Fluvium exſtat. Sed & alia apud eundem in „numo a Samiis cuſo viſitur, differtque ab imagine quam hoc li„bro repræſentamus, quod manu dextra radium teneat, eoque „ſtellam Veneris in ſphæra ſculptam tangat; ſiniſtra virgam ha„beat. Ita vides notum fuiſſe diu, quem Morellius publicavit. Simul etiam hinc conſtat, quam variis modis imago præclari hujus viri ſervata ab hominibus ſit, Roma quoque ipſa ſtatuam ejus oſtentare in comitio lætata. Nihilominus, quod moneri oportet, in his noſtris non apparet ille ΚΟΜΗΤΗΣ, ut tempore Luciani fuit, teſtante ipſo in Auctione Vitarum.



ANACREON

ANACREON.



SED quanto odio fugere Polycratem Sami tyrannum is qui præcedit philoſophus puræ mentis ac libertatis amator duravit; tanto obſequio eum affectatus fuit ac demeruit Anacreon. Is enim ex continente & patria, quam ſortitus erat urbem Teon, idcirco in inſulam Samum trajecit, uſus indulgentia & opibus principis, tum ſuo & telluris ad Bacchum pronæ ingenio ad omnem remiſſionem, ut etiam columba maluerit ejus eſſe miniſtra, quam libera vagari. Remiſſionem dico, ſed quam pretioſiſſimam fecit & ſacram lepore carminis, ad quod ſcitiſſime formandum inſtrumentis doctrinæ ac melioris ſcientiæ omnibus mentem acutam ſuccinxerat. Ille ΝΟΜΟΥΣ, ille ΡΗΤΟΡΩΝ ΑΝΑΓΚΑΣ, ille ΛΟΓΟΥΣ ΤΟΣΟΥΤΟΥΣ cognoverat, & quid non? ita ut meritiſſime inde ΣΟΦΟΝ quoque illum pronuntiaverit maximus Plato. Neque certe cauſa eſt, cur illud epitheton in divino ingenio ita anguſte oporteat intelligi, ut modo notet elegantem poetam & in eo poeſeos genere, quod excoluit, eximium, ut judicant illi, qui ad ponendum judicium exiguis ſe viribus adjutos oſtendunt, quod tamen ubique effutiunt. Non ita judicabat auctor divinæ epiſtolæ ad Hebræos illam ΠΙΟΥΣΑΝ ΓΗΝ tam delicate ex hoc Anacreonte uſurpantis, ut notavit Ill. Grotius. Et quis ex antiquis eruditus non aliquid in hoc Anacreonte fuit admiratus, imo adoravit, tot paſſim ex eo fragmentis ſcintillantibus, toties nomine inſtar præcipui ornamenti adhibito? Et Homeri & veterum poetarum ΣΟΦΙΑ nota eſt; ab qua non debet excludi Anacreon. Scias igitur ſummo jure in eo ſcripſiſſe Theocritum, ſi quid unquam eximium inter odas veteres & earum auctores exſtiterit [1], id certe obtinuiſſe Teium hunc Anacreontem,







cujus unius præſentiam gloriamque ita defuiſſe doctis ſuis Athenis judicabat Hipparchus, ut miſſa nave eum devexerit, tanto majore mercede ſollicitatum, quo penitus eam ſilet Plato. Unde etiam non mireris ſimpliciter ΤΗΙΟΝ vocatum in nummo quem tractavit Caninus, cujus effigiem huc tranſtuli, ut ſimul ſpectaretur, ita diver-

1. Τῶν πρόσθ' εἴτι περισσόν ᾠδοποιῶν.

ſam, ut vix quidquam accedat ad Urſinianam, ac plane dicas exhiberi caput Bathylli & crinium poſitus ab Anacreonte deſcriptos ode XXIX[2]. Bellorius cur literas inverterit, ignoro; quod ipſe certe non admitterem.

2. Λιπαρὰς κόμας ποίησον, Τὰ μὲν ἔνδοθεν, μελαίνας. Τὰ δὲ ἐς ἄκρον ἡλιώσας. Ἕλικας δ' ἐλευθέρως μοι Πλοκάμων ἄτακτα συνθεὶς, Ἄφες ὡς θέλωσι κεῖσθαι.


SIBYLLA PHRYGIA
Ænigmatibus Sphingi comparata .


SIBYLLA.



Et hi quidem ita insimul debuerunt jungi. Sed in media hæc tempora occurrit narratio & appellatio, quæ fere per omne hoc opus & quamcunque ætatem me advertens & obvia, nequivit tamen certo articulo adstringi, nunc non ulterius rejicienda. Ea sane est Sibylla, tam multiplex, tam omnibus temporibus locisque reperienda, ut denique denario numero includatur; nisi huic etiam velut supra numerum addenda ipsa anus hospita atque incognita, ut vocari in antiquis annalibus auctor est Gellius, quæ obtulisse legitur Tarquinio, ut nonnulli, Prisco, ut Dionysius Halic. posteriori, quem vocat ΤΥΡΑΝΝΟΝ, volumina novem magnorum arcanorum literas continentia & in omnibus Romæ periculis diligenter inspecta, nunc non decemviris tantum, sed historicis quibuscunque pernota. Hæc fata potentissimi imperii quum admonerent non intactam prætermittere Sibyllarum, quæcunque fuerunt, memoriam; quid in ista parte antiquitatis superesset circumspiciens, animadverti Romæ quidem præsertim celebratas tres, ut docent simulacra trium Sibyllarum pro Rostris, & alia monumenta: sed si urbem egrediaris, videas ferme totidem quot ab ista anu libros, etiam Sibyllas ab vetustate concrematas & interceptas esse. Ex illa enim decuria vix residuas quatuor vel auxilio aliorum, vel sponte mea ex cineribus resuscitare possum. Age igitur, & quam integram maximamque Sibyllam creduntur nostris oculis præbere Horti Medicei tam rigui & vernacula antiquitatis doctrina uberes, contemplare sedentem ita, ut reliquos quidem libros, quos licet cogitare ipsos toties Romanis Annalibus memoratos Sibyllinos, unde non dubitavi eorum quoque mentionem in ipso titulo facere, convolutos habeat ad latus, unum vero manu ostentet sive explanans sive admirans fatorum prædicta. Nec a nobis requiratur speciatim appellatio ejus, quam ferme depingit Lactantius ita scribens: *Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut Dea, juxta ripas amnis Anienis; cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum; cujus sacra Senatus in Capitolium transtulerit.*


SIBYLLA CVMANA.

SIBYLLA CUMANA.



NUMMUS, unde hoc caput petitum eſt, quum incuſum habeat nomen ΚΥΜΑΙΩΝ, manifeſte docet, quo vultu Cumani Sibyllam fuiſſe crediderint, & quidem ſuam, quæ in Sibyllarum catalogo etiam Cumana cognominari ſolet. Hanc illam ſcribit Lactantius fuiſſe Amaltheam quoque vel Demophilen vel Herophilen ab variis nominatam, quæ novem libros attulerit ad Regem Tarquinium, denique ſuperſtitioſo mentis motu reſiduos tres ementem trecentis aureis, quum iſto pretio omnes novem habere potuiſset: ſed, addit, eorum numerum poſtea fuiſse auctum Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus & Italicis & præcipue Erythræis coacti allatique ſint Romam, cujuſcunque Sibyllæ nomine fuerint. Narratio hæc celebris eſt & exagitata ab maximo Salmaſio, qui tamen quum de ea quæ obtulerit Regi libros, tam acriter inquirat, non debuit dememiniſse horum Lactantii verborum, in quibus aperte Sibylla Cumana id feciſse dicitur, quum ipſe tamen ſcribat neminem eſse, qui a Cumana Sibylla oblatos eos ſcripſerit. Licebat Lactantium adæquare Servio; & dum Dionyſius ac Gellius anum hoſpitam atque incognitam, vel non indigenam id feciſse volunt, quid aliud quam aliquam Sibyllarum innuunt? Neque enim quidquam impedit, quo minus per hæc verba aliam vel hanc Sibyllam deſcribi credas. Huic autem narrationi frequentatæ inter Romanos de emptione iſtorum librorum ſimilis prorſus eſt eoque annotari debet narratio, quam habet Ælianus in fragmento apud Suidam [1], ſive hac inde ſumpta, ſive hinc occaſione alteri præbita. Eſt autem hæc facies ſumpta ex Theſauro Palatino, cui diſſimiles quidem, ſed non multum, præ-



ſertim in cura capillorum, quos cervicem juxta debuit ex archetypo facere ſculptor denſiores, duas quum antea ediderit Goltzius, eas hic apponi cenſui. Neque enim conjectura viri eruditi in conſpectu Sibyllæ videtur a vero deviare, qua gloriari Cumani conſentientibus etiam externis potuerunt.

1. In voce Βύβλον. Κελεύει τὸν μὲν ἀποδέσθαι τῷ Νικάνορι φάκελλον βύβλου τετρακοσίων χρυσῶν· ἐὰν δὲ μὴ ἐθέλῃ, ἀεὶ προσεπιτιμᾶν, ἐπαιτεῖν τε χρυσίου προστιθέντα, ἕως ἂν ἀπειπὼν δῷ ὅσον ἂν αἰτηθεὶς τύχῃ τῇ ἐπὶ πάσαις φωνῇ.



SIBYLLA
Fatorum Romae. praescia.

SIBYLLA MANLIA.



ERTIAM & ſatis nobilem Sibyllæ ſuæ memoriam poſteris reliquit Romana quoque moneta ex arbitratu gentis Manliæ cuſa, ubi non videtur alia indicari, quam eadem illa Cumana, vultu ipſo confitente, etſi crines in tres ſpiras deducti & dependentes eum exornent adſciticio alio lepore. Ipſæ enim ſubſcriptæ literæ hic ambigere ſpectatorem non ſinunt. Itaque in beneficii hujus honorem appoſui cognomen, quo ſervator Sibyllinæ faciei indicaretur, quum averſa ejus pars eum quoque deſcriberet, nempe L. Torquatum triumvirum cum tripode. In quo cur ita placuit delirare Viro docto, ut colligeret inde ſe poſſe ſuſpicari hunc Torquatum xv-Virum fuiſſe ſacris faciundis: Sibyllinos enim libros a xv-Viris ſacrorum ſervari nec injuſſu Senatus adiri aut legi fas eſſe. Sic enim ſcribit & ſermocinatur Urſinus, quum ipſe Torquatus ſe triumvirum ſcribat. Propterea ſedulo cavet ab hoc Urſini lapſu alius, omiſſo Torquato conſiderans Quindecimvirorum ſignatam in denariis gentis Manliæ memoriam ſub Sibyllæ effigie, & quia Quindecimviri ſacrorum Apollinis antiſtites, hinc ad indicandum illud ſacerdotium tripoda in averſa nummi parte ſignatum. Ita ſane ſub his ænigmatibus illud ſacerdotium intelligi poteſt; ſed non videtur Torquati ea mens fuiſſe, ut iſtud ſacerdotium ſic veneraretur & ſignificaret. Plana eſt inſcriptio, qua non Quindecimvir aut ſacrorum Apollinis præfectus audit hic Manlius, ſed Triumvir. Quo nihil aliud poſteritati indicatur, quam vel monetalem Triumvirum fuiſſe, vel aliquid ad cærimonias Sibyllæ pertinens ab hoc Triumviro L. Torquato curatum ac repoſitum eſſe. Ad talia enim iſtud extraordinarii magiſtratus nomen ſolebat advocari, ut patet ex uno hoc Livii loco xxv. 7. *Creati Triumviri bini, uni ſacris conquirendis doniſque perſignandis; alteri reficiendis ædibus Fortunæ & Matris Matutæ*. Tale quid curatum nunc etiam ab hoc Manlio, cui interim ſic ſervatam debemus hanc Sibyllam cum tripode, & quidquid ad illam pertineret his annexum, quo ſi & ſacerdotium ſacris faciundis continere licet, utique non proprie & præcipue hoc nummo denotatur. Huic Sibyllinæ



linæ faciei debet alia attexi ex eifdem Familiarum Romanarum numifmatibus, quam M. Voltejus reliquit, cætera prorfus fimilem, fed lauro fimul coronatam, quæ in aliis omittitur. Ubi quidem Urfinus eadem fide oberrans fomniat Voltejum Quindecimvirum facris faciundis fuiffe; quod tanto audacius licuit facere, quia de Triumviro adfcriptum nihil eft. Sed tu ex nummo Torquati, fi fapis, explicabis nummum Volteii, quod videntur etiam requirere appofitæ tripodi literę, de quibus alias.


SIBYLLA
cum libris Sibyllinis

SIBYLLA PHRYGIA.



Hæc adhærere prioribus etiam debet, quam blandiens ſane conjectura nuper Sibyllam fecit, quum interpretes nummorum Cariſii ſilerent, idque ex loco Stephani teſtantis in Gergithiorum nummo Sibyllam iſtam Gergithiam cum ſphinge excudi ſolitam, orationem hanc Stephani adfirmante Phlegonte. Sed cur Cariſius hos Gergithios ſupponi debeat imitatus, nulla juſta fides additur. De ſphinge dici poſſunt multa, & dicta quoque ſunt, ſicut etiam illic. Hic refert cognoſci, cur recepto more Sibyllam iſtam cum ſphinge exprimendam curaverit Triumvir monetalis ille, ita ut etiam ad ſignum Auguſto familiare reſpexerit. Sed nihil ad eam cauſam adfertur, quod quenquam movere queat & impellere. Scilicet id fatum fuit hujus nummi vel potius capitis, quod in eo exprimitur, ut peſſime in ære exhiberetur. Neque enim vel Urſini vel Patini editio, nedum iſta Diſſertationum pagina 217. quidquam habet exacte referens lineamenta ejus. Itaque in riſum plane me conjecit manus artificis, quo hic librarius uſus fuit ad has ampliores tabellas exarandas. Exemplum autem ſumpſit ex Patini editione. Is omnes illas inæqualitates vel puncta pro margaritis habens, etiam in ordines longos rectoſque redegit, quum apud Patinum jaceant quaſi catervatim ſparſæ. Sic ludicras quaſdam operas certatim in hoc capite fataliter juvit edere. At veram faciem nunc tibi, ſpectator, ex nummo meo offero. Hujus ductus an non palam clamant



eſſe caput Æthiopicæ mulieris? Ejus clarum indicium facit denſitas labii inferioris, conſpicuum imi naſi tuber, capilli mirum in modum criſpi; adeo ut ſi pro Sibylla aſpici debeat, ſit illa ipſa, quam memorat Lactantius; *Secundam Libyſſam, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo*. Sed unde illud robur, ut iſte Cariſius ad tam remota alluſiſſe credatur? præſertim quum in illa facie ſit nihil ad aliquam vaticinantis ſimilitudinem vergens. Ego quidem mihi ſatisfeci, ex quo animadverti Æthiopicam ex Africa faciem eſſe; unde quum etiam monſtra illa ſphingum vocabulo deſignata per fabulas devecta ſint, (patet ex Pomponio Mela

111. 9.) non dubitavi regionem demonſtrari, in qua vel hic T. Cariſius vel quis alius eum aliquo cognationis gradu contingens res geſſerit, ſicut P. Cariſius in eiſdem nummis apparet miſſus in Luſitaniam: aut ſi id minus arridet, hunc Cariſium crede ſub Julio præfuiſſe monetæ, & ad ejus adulationem conſtituiſſe hic Eunoen Mauram Bogudis uxorem. Sic licet videar nimis inquirere in folium Sibyllæ; tamen non patior, quin ſimilia quædam capita huc afferam, quorum primum ſed perexiguum cernis ex nummo Hadriani apud Triſtanum 1. 472. Mauretaniam denotans, & ſecundo hic loco ordinavi. Tale caput eſt Heſperidis, quod tomo primo hujus operis locatum eſt. Tale ab Canino prolatum num. 94. quod vides hic in tertio orbe. Sic reticulatum quoque caput Dianæ omnibus etiam crinibus abſconſis adſpicimus in nummo Regis Pyrrhi apud Goltzium.




MALCHVS
Imperator Carthaginiensis.

MALCHUS.




Ita quum in Africam venerim non equidem ex destinato sed trahente rerum serie ; ne ipsa quidem me videtur velle dimittere , ut non apportarem aliquid ex ea novi . Est enim inter vetera cimelia prolatus ab eruditis nummus cum inscriptione CARTHAGO, ut inde pateat cusum esse , quum jam Latina facta esset ista urbs per Julium instaurata . Huic ab uno latere infixum est equi frenati caput & collum , quod consensu creditur alludere ad prima ejus principia , quum sub Didone jacta fundamenta id aperirent. Quod quum ita possit se habere, colligitur inde monetam istam ab nova Carthagine recusam esse , quæ ab prisca sine dubio soleret quoque celebrari , sed nomine urbis concepto literis Punicis . Neque enim causa alia fuit ,. cur in secundæ Carthaginis moneta usurparetur mentio historiæ, quam primæ contigisse refert publica fama, nisi quod ut nomen urbis priscæ, sic nomisma etiam revocarunt. Ab ejus altero latere stat vir militaris , sed alieno prorsus habitu , quam vel apud Romanos vel apud Græcos in usu fuit . De quo quid dicatur in Thesauro Palatino , patet ex pagina 285. Omnia diu considerans didici esse ipsum illum Malchum , qui ob infelicem militiam expulsus patria , mox eam obsedit , & more aliorum vi se restituit, unde legibus erat ejectus, occupata urbe , & aliquamdiu ex lubitu dominatus , donec eam libertati restituit . Isto medio tempore , quum obtineret urbem Malchus , videtur hæc moneta cusa esse ipsum more Imperatoris Carthaginiensis referens ; sed ut potentiam suam ostenderet contra inimicos, clava se armavit , illos tanquam monstra domans . Et quomodo? Nempe caput istud acris equi compellens pati frenum , quod utique perpetuum subjectionis signum fuit , vel Horatiana Epistola decima libri primi admonente , ut mirer equum in nummis Panormitanorum quoque frenatum & salientem liberrimo cursu pro indice libertatis etiam adspici , quod nullo genere approbari debet , freno servitii certissima nota. Denique stat ipse Malchus eo quidem gestu , quo , evocato populo ad concionem , exilii injuriam questus , belli necessitatem excusavit , contentumque victoria sua punitis auctoribus miserorum civium injuriosi exilii omnibus se veniam dare dixit. Hujus rei historiam, sane memoria dignam , Latina jam Carthago non putavit oblivioni dandam ob multas causas. Ubbo Emmius id ait accidisse temporibus antiquissimis ; sed ab his ipsis non potest multum abesse . Tu considera quisquis hæc attingis, & si potes, aliud melius vide.


KATANAIΩN
CHARONDAS HEROS
Legislator. Catinenſium

CHARONDAS.



SED regyrandum eſt ad homines luti melioris & hinc vere ab natura magis ſovente natos ad agnoſcendam ſuam cum cælo conjunctionem. Nec uno grandi paſſu in Græciam recedere placet. Sicilia & Italia interjacent propiuſque admittunt veſtigium; & magnus ſplendor in illis exoriens advertit quemcunque prætereuntem, ut acrius inſpiciat. Illa Pythagorea ſchola cum moribus tunc publicis diſſidens & ideo diſſipata, certe Crotonienſi urbi non amplius incluſa abhinc primos radios in vicina emiſit. Ex quibus Charondas in tacito illo ſanctoque philoſophiæ modo naſcentis ſeceſſu quum aliquamdiu vacaſſet animo, ac ſibi antea præſcripſiſſet jura, quibus coerceri effrenes affectus maxime intereſt; & ipſe reditu ignes Crotonienſes occupans eadem tranſtulit in patriam Catanam, olim quidem claram piorum fratrum erga parentes officii exemplo, ſed unico, & ut videtur, propterea magis celebrato, quo magis diverſi eſſent reliquorum civium mores. Sic ille non Catanæ ſolum, ſed Rhegii quoque & apud Thurinos, de quibus particulatim agit Diodorus Siculus lib. XII. notus fuit. Utinam modo conſtaret hunc ejus fuiſſe vultum, & ita Catanenſes ei honorem præſtare in moneta ſua voluiſſe! Hæc lis eſt, hæc exercitatio anxia ingeniorum. Certe iſte talis apud Parutam & alios multiplici cum alterius areæ ornamento occurrit, prout etiam in nummis Metaponti urbis: adeo ut potiſſimum illos Pythagoreos videantur iſto tempore ſingulatim ita honoraviſſe. Cornu præbuit copiam verboſis diſſertationibus, & poteſt eſse indicium divinæ cujuſdam venerationis: quippe cum Jovem Hammonem didicerimus hoc cornu inſtructum fingi. Quin etiam conſtat hanc illis habitam fuiſse, & velut ad numinis commendationem profuiſse ortum ex iſto cœtu. Sed quid multa? Poſset illud adfictum cornu reſpicere ad rigidam legum quas præſcripſerunt, formulam & exſecutionem, ut nihil paterentur a verbis, in quæ ſemel conſenſum erat, remitti, nihil in illis conniveri.


ΖΑΛΕΥΚΟΣ
ZALEVCVS
Locrenſis Legiſlator.
Apud Fulvium Ursinum

ZALEUCUS.




UÆ rigida & abrupta ſeveritas ſi ullo unquam patuit documento, eam in ſe exſeruit Zaleucus item Pythagoreus, item legislator & quidem in vicinis oppidis, unde ab Cicerone apponi ſolitus illi, quem præmiſimus Charondæ, ab Diodoro item Siculo lib. XII. cap. 20. etiam ab Æliano, paſſimque junctis nominibus; atque idcirco in hac opera nequaquam ab tam arcto eorundem ſtudiorum inſtitutorumque æmulo ſeparandus. Quin adeo ſimilia fuerunt quoque horum ſcita, ut quæ iſte Catanenſibus, hic Locrenſibus ſuis ſtatuiſſe legatur, prout inſigni exemplo eſt laqueus inſertus collo ejus qui diſceptare de lege aut emendare eam conaretur; quod & ab Charonda apud Thurinos introductum narrat idem Diodorus, & Zaleucum apud Locrenſes ita ſtatuiſſe Polybius libro XII. Sed conſtantiſſima inter utrumque æqualitas ex inconcuſſa & præfracta legum ſeveritate ad virtutem injungendam & mentes ab vitiis deterrendas, veriſſima diſciplinæ Pythagoricæ pignora, ipſo magiſtro non per aliam æque notam agnoſcendo, quam tenacitate probatiſſimi propoſiti in conſtituta voluntate ac vita, ut nihil exſultaret, ſolius veritatis amator, & ut illi dicebant, ΘΗΡΑΤΗΣ. Hinc ne quid pro ludicro in legibus ſuis haberetur, Zaleucus geminum oculum vel illis vel peccato filii tam memorabili diviſione donavit, ut ſalvo & illæſo patrio amore tamen eis obediret, atque ita ſeverus in judicando eſſe poſſet, quum & leges ſeveras in ſe judices eſſe vellet, prout hanc Zaleuci mentem in alia cauſa interpretatur in lege Manilia Cicero. Hinc facile colligitur præſtanti huic viro habitos a ſuis honores per ſtatuas ſimiliaque decreta. Sed perierunt illa omnia, periiſſetque notitia vultus ejus, niſi ſoli Urſino, quæ felicitas viri fuit, occurriſſet nomiſma literas ΛΟΚΡΩΝ ΕΠΙΖΕΦΥΡΙΩΝ incuſas habens, & ab altero latere ΖΑΛΕΥΚΟΣ, cum tranquilliſſimæ & laurea merita coronatæ faciei lineamentis. Hinc petiit Gallæus, hinc Bellorius, & nullus poſtea ſibi itidem viſum fatetur, adeo etiam ut Pariſinus nummorum illuſtrator ne quidem meminiſſe & recenſere voluerit.


ARCHYTAS
Pythagoricus Mechanicis clarus
Ex Nummo æreo apud Fulvium Ursinum

ARCHYTAS.



LIUD denique sidus Majoris Græciæ ex eadem schola processit Archytas. Ille quidem utique legibus ferendis vel indolem disciplinæ vel amorem patriæ confessus non est, quod duo priores fecerant. Tarentus habebat aliquid devectum ex Sparta, unde felicitas urbis & industria civium primis sæculis nitorem colligerent. Archytas varia vitæ sorte exercitus probatusque docuit Pythagoreum non modo ad omnia idoneum esse & excellentem, sed vere excelsum, idque in omni virtute, ut merito scripsit Diogenes Laertius; adeo ut levis & fere invida sit laudatio Bellorii, qua eum mechanicis clarum inscripsit, perinde ut Goltzius nobilissimum mechanicum vocat pag. 299. Magnæ Græciæ; non aliter ac si Archimedes quisquam aut alius de grege isto par foret. Major & divinior hæc mens fuit quam ut fabricæ includeretur & inventioni. Rebus militaribus summo cum imperio curavit aliquoties, & nonnisi feliciter, nec tantum ut Tarentinos cives haberet sub signis, sed & circumcolentes Græcos. Unde occasione postulante excogitandis mechanicis operum formis intentionem mentis cum laudato successu applicuit. Sed hæc omnia sic quidem, ut tamen judice Æliano esset ΠΟΛΙΤΙΚΟΣ; & legislatorem quoque creatum dicit plane Goltzius. In quo genere non modo utilem se patriæ gessit, sed ita quoque reverendum, ut ipsius literis habitus tantus ab Dionysio sit honor, quo non auderet necare Platonem, prout constituerat. Inter quæ tam innocens animi laxatio & otii remissio, ut cum pueris etiam luderet; mirusque linguæ pudor, ne quid indecorum efferret. Hinc mirum non est gratam illis populis fuisse Archytæ imaginem; mirum est eam in nummo non visam nisi soli Ursino. Ex eo enim proferunt Gallæus, Bellorius, editio Diogenis Laertii. Etiam Nummi Illustrati hunc ignorant. Leon. Augustinus eandem ex gemma corniola protulit, eo





discrimine, ut nullo cervix operiatur crine, qui conspicuus &

denſus & inflexus etiam in nummo. Sed & Gevartius ſtatuam ejus graphio denotavit ex gemma apud F. Urſinum. Utraque quæ commemoro, hic adſunt. De quibus aut forſan diverſis ſic licet audias ſcribentem Fabrum. Caput Archytæ ex numo æneo „ mediocris magnitudinis repræſentatum eſt. Ejus numi antica „ pars, nomen *Archytæ* notis quibuſdam inſculptum; poſtica piſcem impreſſum habet. Ejuſdem Archytæ figura exſtat in Corniola veteri ſculpta, additis ſignis quibuſdam, hoc eſt, cylindro „ & cubo, inſtrumentis Mathematicis, ab ipſo Archyta inventis. „ Ejuſdem Archytæ imaginem exhibere videtur, qui apud Fulvium exſtat numus argenteus tetradrachmus, quem item Tarentini in honorem civis ſui cuderunt, niſi dicere malimus eam „ Tarantis eſſe effigiem.


MILO CROTONIATES
robore immenso percelebris.

M I L O.



Is quoque inter Magnæ Græciæ incolas & Pythagoræ discipulos plurimum doctori suo & sectæ attulit laudis. Neque debet dubitari, quin animum pariter hinc artibus honestis imbutum habuerit. Attamen quæ de hoc homine miracula narrant scriptores, fere unum corporis robur tangunt, quasi de eo tantum sollicitus fuisset, ut omnes sui temporis homines supergrederetur. Hinc non tantum athletico certamini in Olympicis ludis ita satisfecit, ut vinceret, sed bovem quoque gestavisse dicitur. Hinc ne Asia jactet suum Samsonem, vel Atlantem Africa, in columnæ succumbentis locum supposuisse humeros ad fulciendam diatriben, in quam Pythagorei convenerant. Hinc denique causa mortis ex fiducia virium, quibus arborem findere conabatur. Scilicet ratio continentiæ Pythagoreæ sic corporis etiam succurrebat firmitati; quum tamen ingluviem ad hanc causam adferant alii. Sed quod miror ab illis narrationum analectis omitti, magnum hic se virum ostendit dux belli ab civibus electus, & insigni ipsorum commodo, dum ipsi circiter centum millia congrediuntur cum hostili exercitu trecentorum millium, & egregie fugant, auspicante victoriam ipso hoc duce athleta, prout legimus apud Diodorum Siculum lib. XII [1]. Itaque & Milo nequivit intercidere in posteritatem, variis statuis imaginem ejus servantibus: quarum hanc quidem scribit Jo. Faber ex argenteo unius drachmæ nummo desumptam esse, & historiam gestati bovis in marmorea tabella artificiose insculpta cerni posse, in qua imago Milonis huic nummo prorsus sit simillima; sed & in sarda quadam perfecti artificii; ut hinc discas cognitam diu fuisse illam, quam promit modo Thesaurus Brandeburgicus pag. 97. quum ipsa sit, quam Jo. Faber innuit. In Prosperi Parisii collectione nummus clavam exhibet cum imposita leonis pelle ac literis MILO CROTON. ut & serioris sit ætatis, & alium Milonem queat notare. Immo & inter statuas Vaticanas animadverto quosdam suspicatos esse Milonem, in quo alii sint contemplati Antinoum. Quæ statua quum nihil habeat singulare, non putavi operæ, ut hic insereretur. Sic processit alia suspicio de domo Milonis hujus, tanquam in ea deprehensos condiscipulos cremaverint Crotoniatæ. Quo sane pertinet, quod in Jamblichi pag. 208. avunculus meus Samuel Tennulius ex Memmiano codice notavit legi ΜΙΛΩΝΟΣ, prout emendabat quoque Menagius, non ΜΥΛΛΩΝΟΣ, quum in margine notaretur ΚΥΛΩΝΟΣ, sed in Regio codice ΜΥΛΩΝΟΣ.

1. Qui porro sic eum describit. ὁ γὰρ ἀνὴρ οὗτος ἑξάκις Ὀλύμπια νενικηκὼς, καὶ τὴν ἀλκὴν ἀκόλουθον ἔχων τῇ κατὰ τὸ σῶμα φύσει, λέγεται πρὸς τὴν μάχην ἀπαντῆσαι κατεστεφανωμένος μὲν τοῖς Ὀλυμπιακοῖς στεφάνοις, διεσκευασμένος δὲ εἰς Ἡρακλέους σκευὴν λεοντῇ καὶ ῥοπάλῳ· αἴτιον δὲ γενόμενον τῆς νίκης θαυμασθῆναι παρὰ τοῖς πολίταις. En originem statuarum.


MAG · PIVS · IMP · ITER ·
COLVMNA RHEGIA ·

COLUMNA RHEGIA.



Itaque cum mentes hominum illorum contigerit hoc tempore ſic ornari ab Pythagora, ut diſcipuli regulam ſanctitatis traditam non modo admitterent, ſed & in patria retinerent, civeſque ſuos ad eandem polirent; ambigere nullus poteſt, quin & ipſi illi tractui maritimo longe formoſior ſit illatus nitor, quam vel ex Græcia ipſi primi coloni ſecum devexerant. Multæ regionum ejus partes, antehac cælo & ſilentio tantum cognitæ, nec calcatæ niſi veſtigiis ferarum, tunc cœperunt miteſcere, & vel ſedem vel ſignum incolentibus præbere. In quibus quum præſertim illic celebrata audiatur Columna Rhegia [1], & ſic quidem, ut circa iſtam Columnam non exigua humanorum portio habitaverit ac inſtar civitatis fuerit, atque inde Geographis in ordine maritimorum locorum etiam annumerata, (certe etiam Geographo Ravennati dicitur *civitas Columna Regia*) eam tum hoc tempore credidi accepiſſe primordia, alioquin ignota, tum ad ejus memoriam in priſco argento reperiendam me excitavi. Eam mihi imaginor inveniſſe in egregio nummo Sexti Pompeii, qui ut dominium ſuum in freto ſignificaret, nummum eum cudit, in cujus altero latere Scylla, quam ſupra vidimus, in altero iſtud memorabile monumentum, quod ita deſcribit Urſinus, ut dicat eſſe *Neptuni ſignum roſtro navis innixum, atque alia maris imperium indicantia ſymbola impreſſa*. Hoc modo annotat, quod eſt tenuiſſimum & obvium cuicunque; quod maxime conſpicuum eſt, & præcipuam in nummo partem tenet, negligenter prætermittit, nempe id ipſum, cui Neptunus ille parvulus inſiſtit. Hoc ædificium ita clare poſitum eſt, ut inter id ac triremem pateat ſpatium, quod melius ab Patino, quam ab Urſino expreſſum eſt, niſi quod volucris male apud illum excelſior fingitur. Iſtum vero locum, cui inædificatum illud eſt, prætervehit triremis; id ipſum ſcilicet, quod quotidie in freto fiebat; & notabili exemplo pariter ac deſcriptione illuſtrat Suetonius Auguſt. cap.16. *Proſpectis biremibus Pompejanis terram legentibus*. Et quidem utroque ab latere ſic Sextus Pompejus declarat fretum fuiſſe juris ſui, quum Columna in Italico litore ſteterit. Unde patet nummum iſtum eo tempore cuſum fuiſſe, quum Sextus præſidia quædam in Italiæ ora poſſedit, & ſtationes nonnullas navibus obtinuit [2]. Itaque ut ſcias prætoriam na-


 vem

1. Ita teſtor a me appellari, quoniam in antiquis Melæ & Plinii exemplaribus ita vidi ſcriptum extare, non *Rhegina*.

2. Dicente Appiano conveniſſe inter Cæſarem, Antonium & Pompejum, Πομπήϊον τὰς φρουρὰς ἐξαγαγεῖν, ὅσαι κατὰ τὴν Ἰταλίαν εἰσὶ, μηδ᾽ ἐφορμεῖν ναυσὶ τὴν ἀκτὴν τῆς Ἰταλίας.

vem esse, indicat in puppe vexillum aplustri alligatum, quod & ab Ursino & ab Patino neglectum manifeste in nummo meo ventilatur pendens. Sed in summo ille ipse detritus est, ut faciem & insignia Neptuni observare nequeam; qui tamen si est, egregie confirmatur suspicio mea ex sermone Græco, ubi hæc Columna appellabatur ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΝ, ut scribit diserte Strabo lib. VI. pag. 257[1]. Sed videtur quid altera manu tenere, quod distinguere nequeo.

1. Dicens τοῦ Ποσειδωνίου τῆς Ῥηγίνων στηλίδος.


BRVTVS
L. IVNIVS BRVTVS
Tarquinii tyranni expulsor.

L. JUNIUS BRUTUS.



T ſic quidem florebant omnia per iſtam oram doctrinis Pythagoricis velut animantibus. Sed major res gerebatur intus, & ultra Lirim aliquid coquebatur unum ſane par omnibus quantumcunque illuſtribus regum Romanorum facinoribus. Junius enim Brutus jam exuens cognominis ad tempus ſumpti mimum, non ut Pythagoras fugit tyrannidem, ſed eandem & armis & auctoritate & virili ſubole munitam ex patria libertatem ſpirante ac diu latura fugat & expellit. Et tamen ſi ullus quidquam ab Pythagora habuiſſe cenſendus eſt; profecto cenſuerim hunc Brutum non ex ſe ad propoſita tam excellentia impulſum eſſe. Illa firmitas in ſpernendis omnibus præ una virtute, illa rejectio deliciarum ex aulica vita, illa periculi præſentiſſimi negligentia, illa alienatio animi patrii, & officii ſeveriſſima cuſtodia etiam cum proprii ſanguinis dedecore ſimul & damno nil niſi Pythagoreum oſtentant omnis ΟΥΣΙΑΣ omniumque ΥΠΑΡΧΟΝΤΩΝ faſtidientem & unius mentis reverentiæ addictum, & in ea cum lætitia acquieſcentem. Nec mihi objeceris diſputationem Livii de doctrina Numæ, ubi ab Sabinis utique notitia omnem Pythagoræ tunc repellit. Multi enim anni in medio ſunt; & qui potuit enavigare ad Apollinem Delphicum, potuit accepiſſe aliquid ab Pythagora tunc Crotoniata. Talem certe etiam ipſe vultus, totum Pythagoram quoque gerens, videtur præferre, non prout Gallæus majore tractu nitidum viſu curatumque lepide, (& hunc tamen vides hic expreſſum) non prout Urſinus in Familiis Romanis barba in acutum deſinente, non ut Caninus crine circa cervicem æquante imam barbam ac facie nullam profunditatem animi aperiente, qualis eſt & Patinianus; ſed prout in nummo exſtat haud dubie ſumma cura ad ſtatuæ ſimilitudinem facto; quem hic vides. De iſta autem ſtatua ali-



„ iſque audias licet collectanea Jo. Fabri: Scribit Plutarchus in Ca-
„ pitolio dedicatam fuiſſe L. Bruti ſtatuam, gladium nudum manu
„ tenentis; cui, ut Suetonius narrat, tum cum de Cæſaris nece
„ conſilia agitarentur a conjuratis, ſubſcriptum fuit, Utinam

„ VIVERES. Ejuſdem ſtatuæ Cicero quoque 2. Philippica his ver-
„ bis commeminit : *Etenim ſi auctores ad liberandam patriam deſidera-*
„ *rentur illis auctoribus*, *Brutos ego impellerem*, *quorum uterque L. Bru-*
„ *ti imaginem quotidie videret* , *alter etiam Ahalæ* &c. Et fortean ejus
„ ſtatuæ caput , fuit æneum illud , quod hodie in Capitolio viſi-
„ tur , multis abhinc annis a Rudolpho Pio Cardinali Carpenſe
„ illic dedicatum : ſicut etiam fieri poteſt , ut alterius ſtatuæ , nem-
„ pe Ahalæ , fuerit caput illud æneum , quod olim Petri Bembi
„ Cardinalis fuerat , & hodie in Pinacotheca Cardinalis Farneſii
„ inter alias multas venerandæ antiquitatis reliquias aſſervatur.
„ Aliæ quoque Bruti imagines reperiuntur in gemmis anularibus,
„ ab ejuſdem familiæ Juniæ hominibus ſi forte portari ſolitis.




MVTIVS SCAEVOLA
conſtantiâ Porſenam terrefaciens.

MUTIUS SCÆVOLA.



EXPULSO igitur per hunc Brutum illo grandi nomine, quod omnes privatorum virtutes obumbrabat, vel potius ſupprimebat; & patefacta unicuique via ad inſitam generoſo animo vim exſerendam, ſtatim aperuit ſe, quod ſub tyranno tegi oportuit. Statim profiteri auſus eſt Mutius hic Scævola, quam conſervandæ patriæ aut rationem in iſto rerum diſcrimine prudenter videret, aut partem vel cum periculo capeſſere vellet. Nec quidquam glorioſiſſimo propoſito offecit, quam error ipſius. Nota eſt hiſtoria. Itaque hunc puniens ipſe admirationi & tunc Porſenæ & omni deinceps Romanæ poſteritati fuit, ut tum ſcriptis quibuslibet, tum ſculpturis ad laudem oſtentaretur, inter quas hanc vulgavit Leon. Auguſtinus, ſicut dignam, quæ publicaretur; ita non minus dignam, quæ complexa rem Brutum tantum quod mortuum inſequutam, nunc quoque Bruto adhæreſcat. Nam quum plures gemmæ Scævolam deſignantes reperiantur; mirabiliter hæc exprimit tumultum exortum, ut recenti ſcribæ cæde adhuc retinens enſem, ſimul productus ſit ad regem Porſenam, ſimul ab eo interrogatus, ſimul manum cum gladio impoſitam foculo non tantum cremari & uri paſſus, ſed crematam & uſtam ſpectare obdurans, nec ad doloris ſenſum retrahens; immo etiam deſtillantem jam voce & ſiniſtra quaſi increpans, & ipſum & omnes obſtupefecerit. Hunc igitur cernens, ſpectator, tu quoque velut miraculo attonitus jube Scævolam macte laude eſſe; nec deride aut deſpice, quod patriæ nomen non pro luſu habuerit, nec vel ipſe vel æquales in ſola appellatione id conſiſtere exiſtimaverint.





MILTIADES
Athenienſium ad Marathona dux.

MILTIADES.




IS igitur profligatis reversi in Græciam, eam similiter offendimus satagentem de libertate, sed admodum diversimode. Neque enim ab civibus eam tuebatur, sed ab alienigenis & remotissimis hominum; nec in tali infantia, prout Roma, loquendi & scribendi inops, solis facinoribus instans, repebat. Illa vero omnibus jam rebus instructissima, simul hos evocabat ad arma, simul aliorum ingenia vel ad res gestas canendas vel ad quodcunque doctrinæ genus perspeculandum. In quo fertilissimo virorum insignium proventu fruantur primi fama sua, qui tanquam Hercules Musarum non detrectarunt pro Helicone periculis se offerre. Princeps sane horum fuit Miltiades, Cimonis filius, Atheniensis, Chersonesi Thracicæ tertius a Miltiade Cypseli filio tyrannus, ut bene illum describit Fulvius Ursinus, qui primus hoc ejus caput edidit, in cujus pectore sub nomine adscribuntur hi versus:


QUI PERSAS BELLO VICIT MARATHONIS IN ARVIS
CIVIBUS INGRATIS ET PATRIA INTERIIT

ΠΑΝΤΕC ΜΙΛΤΙΑΔΗ ΤΑΔ ΑΡΗΙΑ ΕΡΓΑ ΙCΑCΙΝ
ΠΕΡCΑΙ ΚΑΙ ΜΑΡΑΘΩΝ CΗC ΑΡΕΤΗC ΤΕΜΕΝΟC

Huic autem annexuit alteram imaginem ejus, quam cur omittere Jo. Faber maluerit, ignorans censui servandam omnino & his inserendam. Nam enarratio gestorum ejus longior est, & Herodo-



to ac Cornelio Nepote dignis præconibus elaborata; nec tamen his solis, non sane; ubi enim non celebratur Marathon in libris, qui nobis relicti sunt, perinde ut Miltiades & pugna Marathonia ubi non in Græcia & pingebatur & canebatur? ut idcirco nec relationem Ursini reportem, nec aliam ipse concinnare moliar. Stemma quoque ejus post Rutgersium in Variis Lectionibus cur attingam, quum non erubuerint post eum & Petavius in Rationario & Palmerius Grentemesnilius id tangere & vel Cornelium Nepotem vel alium erroris incessere? Semel talis admonitio edita satis cavet. Et nos nihil nisi antiquitati grates laudesque agimus.




CYNEGIRVS
Furore pugnandi ad Marathona celeberrimus

C Y N Æ G I R U S.



SUB cujus ducatu militaſſe dicitur hic Cynægirus, nullo gradu ſupra gregarios, quod novimus, eminens, (certe militem vocat Juſtinus) ſummis tamen laudibus ſcriptorum inculcatus literarum præconio, ut loquitur Valerius Maximus. In quo id notabile eſt, quod cauſa & materia tantarum laudum exſtiterit denique in fuga Perſarum; in ipſa pugna quum præclare ab illo geſta omnia ſupponi oporteat, & momentum ingens fuiſſe ad compellendos de gradu & campo hoſtes, tamen nihil memorabile ſignificetur. Non Herodotus, non Valerius, non Ammianus eum oſtentant ſævientem in ſtantes Perſas; ſed dicit Juſtinus poſt prœlii innumeras cædes, quum fugientes hoſtes ad naves egiſſet. Itaque omne iſtud decus conſiſtit in perſecutione fugientium, & rabie in apluſtre navis, ut ſcribit Herodotus, onuſtam navem, ut Juſtinus; quum tamen videatur fuiſſe verius ſcapha lutoſo [1] litori impacta, quam manibus dentibuſque, ut quidem jactaverunt illi ſcriptores, unde petivit Trogus & ex hoc Juſtinus, quum Herodotus de eis taceat, arripiens & truncatus tandem periit. Hujus militis faciem unus & primus item vidit Urſinus, publicavitque beneficio ejus Gallæus ex nomiſmate argenteo quatuor drachmarum, ut notat Jo. Faber, qui quum inſcriptionem ſcribat fuiſſe ΚΥΝΕΓΕΙΡΟΣ, Gallæus tamen incidit ΚΥΝΗΓΕΡΟΣ, unde hæc imitatio. In quo illud prius tanto eſt probabilius, quod ſane conſtet poetas ita iſtud nomen ΚΥΝΕΓΕΙΡΟΣ uſurpaviſſe, ut patet ex Theocriticis lectionibus Iſ. Caſauboni cap. 18. Equidem in Herodoti codice Mediceo omnium emendatiſſimo lib. VI. cap. 114. plane legi ipſe ΚΥΝΕΓΕΙΡΟΣ, non ut nunc legitur ΚΥΝΑΙΓΕΙΡΟΣ, licet ſatis conſtet ita quoque id nomen antiquis ſcriptum fuiſſe.

1. Locus enim quo refugerunt Perſæ, dicitur apud Pauſaniam λίμνη τὰ πολλὰ ἐλώδης. ἐς ταύτην ἀπειρίᾳ τῶν ὁδῶν φεύγοντες ἐσπίπτουσιν οἱ βάρβαροι, καί σφίσι τὸν φόνον τὸν πολὺν ἐπὶ τούτῳ συμβῆναι λέγουσιν.




HERACLITVS
Omnia ex ſemet ipso didicit
Apud Magnum Etruriæ Ducem in marmore.

HERACLITUS.



UB Dario igitur, cujus exercitum ex terra Attica pro virili parte repulerunt iſti duo, Epheſum illuminabat ſtudiis ſuis hic Heraclitus, vir ſumme nobilis, & ſi credendum Antiſtheni, adeo ſpernens quodcunque, ut etiam fratri ceſſerit regno neſcio quo. Fuerant ea per juventutem ſatis varia; noverat enim & in ore habebat Homerum, Archilochum, Heſiodum, Pythagoram & Hecatæum. Sed quamcunque ob cauſam mutata hac ratione totum ſe applicuit menti; quam & in Epheſiis & in pleraque hominum parte everſam ac perditam ſpectans damnavit omnia; Epheſios quidem ita vituperans, ut cenſeret ΗΒΗΔΟΝ ΑΠΑΓΞΑΣΘΑΙ; reliquos autem homines hoc faſtidio deludens, ut quum rerum naturam deſcripſiſſe vel jactaret vel judicaretur, ſic figuris & ænigmatibus omnia involverit, ut ab nullo intelligeretur, & eſſet *Clarus ob obſcuram linguam*: ſcilicet ut quum ipſe negaret ſe ab alio profeciſſe quidquam, ſed ex ſe didiciſſe, vel nihil aliud quam ſe quæſiviſſe; nullus etiam ab ipſo aliquid traheret, vel aliud agendum judicaret quam ſe ut noſſet quæreretque. Hoc modo tandem ad id devergit, ut ſtatueret ignem fatumque dominari per univerſa; atque inde etiam de anima & cælo ratiocinatus, per aerem ſcaphas quoque duxit. Hæc riſum extorſerunt multis; ſed & reverentiam in nonnullis moverunt, adeo ut & Heraclitii & Heracliitiſtæ orirentur. Hujus Hermam ſcribit in indiculo Urſinus ſuo tempore fuiſſe apud Ferdinandum Card. Mediceum; ſed quod negligi non debuit, ſine capite: atqui Achilles Statius eum collocans in hortis Cardinalis de Medicis prope villam Julii III. Pont. Max. plane integro cum capite extulit. Hinc non dubitavit monere Urſinus alienum caput non ſuo pectori impoſitum eſſe. Eam admonitionem debuit cordi habere Bellorius, qui apud Magnum Etruriæ Ducem ſcribit eſſe, (hæc inde etiam hauſit editio Diogenis Laertii) prout incidit quoque Gallæus; notante Fabro in gemma quadam anulari, quem *diaſprum* vocent Itali, inſigni artificio ſculptam quoque viſi apud Fulvium Urſinum. In quibus verbis non adſeverat fuiſſe ſimilem, prout tamen iſtis adjicitur ab Bellorio. Utinam excepiſſent illam penicillis! Nos & ſpuria & ſuſpecta execramur, & quum ſuis auctoribus hunc relinquamus, quem certum verumque ex fide Leonardi Auguſtini offerre conſpectui huic poſſumus, ipſi tabulæ inſertum exhibemus, prout diſcretis tabulis ea junxerat antea Bellorius, ſed inſigni abſurditate, quum quem baculo innixum & ridentem ſub nomine Democriti vulgavit Leonardus, hunc ille fingat plorantem, & appellet Heraclitum.

Quod ut verbo tangamus, Heraclitum, qui circiter anno ætatis LX. mortuus fuit, non decet baculum; decet Democritum, qui centum annos & ultra ambulavit.


DEMOCRITVS
Deriſor humanarum rerum.


DEMOCRITUS.



EPHESO Abdera debet jungi, utpote utraque non admodum diſſimili convitio per duos cives deriſa. Abderam tamen non ipſe Democritus, ut Epheſum Heraclitus traduxit, ſed univerſa Græca natio abhinc pro ſtupida ſucclamavit, & in ea riſit, quod ipſa in Democrito notandum cenſebat. Vixerat ille longe aliter, ac reliqui Abderitæ, unde & magna animorum diverſitas. Illi ut verveces in patria ſe ſaginabant. Sed Democritus peregrinatione ferme longinquiore, quam ullus ante Græcus, mirabiliter ad omne ingenii acumen, ſimul ad naturam rerum penetrandam, immo ad humanitatem vere formatus, quid non tetigit & perſpexit? quam lepidos ex ſe ſales ſparſit? qua ſapientia & ſagacitate præodorans ea, quæ ventura erant, demonſtravit? quam varia inventione & vitam communem & doctrinam ipſam exornavit? quam magno denique animo uſus eſt ad res cunctas, quippe quas riſum & jocum putaret? Unde quum omnia veterum ſcripta reverentiam huic nomini crebram & veram præſtent, ſeque ornent ejus laudatione; ſatis credibile eſt imagines quoque ejus paſſim apud Græcos Latinoſque ſervatas exſtitiſſe. Nihil tamen earum ad nos venit præter hanc nimis ſedulo fictam Gelaſini alicujus cachinnantis perſonam, quam ut pro Democritea haberi oporteat, nec inquiro unde venerit. Unde magis delectari poſſum exemplo per eundem Leon. Auguſtinum vulgato, quod his ſubnecto, certe hinc ad fidem




probabili, quod ſenilem aut decrepitam phyſici noſtri infirmitatem artificioſe deſignet.


HIPPOCRATES
Medicorum Princeps
Apud Fulvium Ursinum in numismate

HIPPOCRATES.



BDERITES ille quum plurimos & viderit & æquales habuerit viros insignes, tamen præ omnibus censui apponendum illi hunc medicæ professionis conditorem ex insula Dorica Co Hippocratem, quum etsi ficta forsan, certe vetusta narratio conventus & mutui inter eos colloquii satis amœna, etiam memorata apud multos scriptores, id moneat; licet alioquin ad Perdiccam & Peloponnesiacum bellum rejiciatur. Major hic ex Asclepiadarum gente Nebrida est, quam ut de eo aliquid tangere hæc chartula ausit, & veterum laudationes humanum modum excedant. Hinc tanta varietas magistrorum ejus, quasi certatim plurimi se venditaverint hoc discipulo. Itaque quum priores junctim servaverint doctrinas, hic dicitur ab reliquis sapientiæ studiis disciplinam regendæ valetudinis separavisse, eximio auctoritatis documento. Propterea hujus etiam imagines circumlatæ sunt & ad venerationem positæ; prout videmus ex ære aliquam apud Lucianum significari cum historia digna Philopseude, & Suidam quoque observavisse ΕΙΚΟΝΑΣ illius, in quibus notat ei fuisse caput vestimento tectum. Id quod huc referri oportet, quoniam talis non apparet in hoc specimine, quod ex moneta Coa nummi æneï petitum ab Ursino scribit Jo. Faber, altera area exhibente baculum Æsculapii serpente circumvolutum: quum & alia imago apud Ursinum in pulcherrima corniola exstaret, annulo, ut credit, quondam gestata, in qua & pallium insuper adjectum fuerit: quibus verbis videtur significare caput tectum fuisse, ut modo audiebamus e Suida, & morem medicis fuisse constat, qualem Foesius ostentat in editione Genevensi; quum Bellorius inde fingat imaginem palliatam. Apud Thevetum exponitur alia imago ex nomismate Græco, ut prætexunt, Constantinopoli reperto, quæ editioni Lugduno-Batavæ præfixa est.


ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ
THEMISTOCLES
Bellica et civili virtute praecipuus .

THEMISTOCLES.




SED maxima temporis hujus nota ad Græciæ laudem eſt Themiſtocles. Ille quidem tota vita illuſtris, ita ut & puerum ingentis animi ſigna exſerentem celebrent ſcriptores, alioquin negligentiam ejus ætatis ad rem familiarem culpantes; nec minus ab adoleſcente in pugna Marathonia indolem futuræ imperatoriæ dignitatis demonſtratam. Sed præcipue eum inſignivit hæc Olympias LXXIV. quando belli Perſici exſecutio ei ſoli incubuit, & quidem auſpicatiſſimo eventu. Nec vero ad pugnas modo idoneus. Enimvero conſilia ejus fuerunt, quæ debellaverunt Xerxen & non patrias modo Athenas, ſed univerſam Græciam ſervarunt. Hinc & Thucydides & ex iſto Tullius [1] eum reſpiciunt unicum ſpecimen hominis politici; quippe & præſentium parvo conſiderandi negotio (id enim vel maxime addi debet, additum ab auctore, quem dixi, quum omittat Nepos ita aciem mentis ejus non ſatis liquide declarans) optimus index, & futurorum certiſſimus conjector. Neque hanc felicitatem illi natura ſola dabat; coluerat eam auditorio Mneſiphili, non Phyſica aut Rhetorica docentis, ſed ſapientiam tunc appellatam, quæ acrimoniam ſolertiamque politicam daret, diu ſuetam Athenis celebrari ex ſucceſſione ipſius Solonis: ut mirer ab Bellorio faciem tanti Sapientis omitti potuiſſe. Sed paſſim iſte in mente & lingua fuit Ciceroni & optimo cuique velut ad imitationem ubique poſitum exemplum, ut etiam frequentiam ſtatuarum vel imaginum hinc facile colligas. Ac diſerte de foro Magneſiæ teſtatur Cornelius Nepos. Sed ætate Urſini ſuperſtes tantum erat Herma cum inſcriptione ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ ΝΕΟΚΛΕΟΥΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ, capite adempto. Hæc ab Gallæo petita fuit ex ejuſdem corniola annulari, adſcriptis hoc modo literis ΘΕΝΙΣΤ. notatque Jo. Faber ſimilem in cameo apud Fulvium ſpectari. Poſtea Cl. Ge-



vartius animadvertens apud Card. Farneſium in marmore ſimili-

1. Libro x. ad Atticum epiſt. 8.

ter exſtare, eundem vultum lineis ſic expreſſit; qui quum videatur differre ab Fulviano per ætatem, quæ in hoc oſtenditur provectior, apponi commode judicavi.


PINDARVS
Novem Lyricorum longe Pindarus Princeps Apollinis delicium
In ædibus Iustinianis

PINDARUS.



UM quoque vixit ille quamvis Bœotæ, ſic tamen adaptatæ lyræ fidicen, ut quidquid canorum uſquam exſtitit, ab eo victum ſtatuerit univerſus Helicon. Ex quorum judiciis per varia ſcripta & loca editis collegiſſe opinor Quintilianum, ut adeo ampla electaque ratione & vix capienda præter figuras & ſententias fateretur illius hymnis inſpiratam ſpiritus magnificentiam, irrigans quoque eloquentiæ flumen aliquod cum beatiſſima rerum verborumque copia; unde nihil mirum, ſi imitationi inacceſſum alius dixerit. Neque naturam alteri quoque gratificaturam & ad ſimilia producenda in alio efficacem cum viro docto opponas; quæ forſan non plus operata eſt in Pindaro, quam in reliquis Bœotis. Nec primi tamen ſic Latini; quippe quum antea ab omnibus Græcis honoratum fuiſſe conſtet, præter ſparſas fabulas ipſo Apolline mirabilem in modum ita præeunte aut præiviſſe credito, ut mandaverit ex oblationibus apud Delphos factis partem nomini illius ſecernere & Pindarum ad Dei epulas ore ſacerdotis [1] vocari, Pane etiam olim meditato ipſius pæana. Sic reſpectu ingenii ad illa ferentis comparandus nulli; ejus majeſtate poſteros quoque ſtupefaciente, ut domus Pindari pro ſacra apud Lacedæmonios & Alexandrum in publica civitatis ſtrage haberetur. Nihilominus in adventu Xerxis quum hortaretur pacem, quam prætuliſſe quoque Thebanos & commune fœdus Græciæ deſeruiſſe conſtat, parum apud viros cordatos probatus, ut patet ex Polybio IV. 31. Verum multæ hinc laudes ejus, & ſtudioſa imaginum cura, quarum iſta diadematum, ut principem Lyricorum ſcias, caput exhibens, atque ita piam ac reverentem veterum voluntatem aperiens, ſane eximia eſt, quam ex Canino & porticu locuplete Juſtiniana repetiit Bellorius, non ſatis fideliter, quum ſculptum in pectore nomen ΠΙΝΔΑΡΟϹ (unicum hac in re fidei pignus) omittat, unde etiam in noſtra non apparet, ſed adſcribi debet, perinde ut ſtatuæ ejus ſine capite apud Urſinum in baſi idem appoſitum.

1. *Τὸν ἱερέα* dicit Thomas Magiſter in ejus vita, ubi Caninus intelligit *per bocca della Pithia*.



CIMON

Pietate et bello, clarissimus

CIMON.




Jam Xerxis minas detorſerat heroica Græcorum virtus, & publicas mari terraque victorias & Aſiaticas ſtrages cantabant theatra maximis ingeniis incenſa, quum reliquiis belli conficiendis & glorioſiſſime illo terminando eligere placuit fatis hunc Cimonem. Ille quidem Miltiadis filius, & ardens in parentem pietas, in qua omnium virtutum fundamentum ponebat Cicero, ut inde præviderі poſſet gloria ejus; ſed inæqualis tamen vita & juventus laſciviam non exoſa incertam faciebat exſpectationem. Verum omnia eo ceſſerunt, ut poſtea nec patri promptitudine aggrediendi nec Themiſtocli prudentia judicaretur decedere, utraque virtute nobiliſſimis documentis monſtrata. Unde per Ariſtidem productus, aſſerto patriæ ducatu, qui penes Lacedæmonios fuerat; tamen velut ſequeſter pacis Græcæ mirabiliter animos omnium vinculo mutuo conciliavit, & mox ab oriente tandem agere potuit felicem Græciæ veteris limitem, ut quidquid intra Chelidonias inſulas rideret, inacceſſum conſpectui ſatraparum barbaricorum eſſet. Cujus nobiliſſimæ victoriæ memoriam ſervari per tropæum hoc credo in nummo Goltziano ab Chelidonæis ſignato, quorum certe



victorias nullas refert hiſtoria, ſed licuit illis jactare in vicinia ſua contigiſſe navalem & terreſtrem duce Cimone, utramque Græciæ ſaluberrimam, idque fecerunt in iſto nummo. Cimon vero noſter tanto memorabilior, quod ne oſtraciſmus quidem in eo pertinaciam ſuam conſummare potuerit; poſt mortem denique venerationem nominis ſui diis hominibuſque acceptam expertus fuerit, oſſium Theſei inventor & arcis Atticæ emendator. Unde & ſtatuas illi poſitas probat Herma ab Urſino editus, ſed capite truncus. Hoc autem caput ſcribit Jo. Faber deſumptum eſſe ex æreo mediæ magnitudinis nummo, qui in poſtica parte habebat ſtatuam equeſtrem, quam ipſius putat fuiſſe Cimonis, quia nomen adjectum erat ΚΙΜΩΝ. Gallæus adſcripſit fuiſſe apud Fulvium Urſinum. Sed quod miror, neuter apponit, a quo populo is nummus fuerit cuſus. Itaque quæ præter id, quod retuli, ſupe-

reſt Cimonis memoria, eam præbent cimelia Geneſevæ Pariſinæ, ubi gemma cum literis, prout vides, reperitur, unde patet, quam facile Græci literas ɪ & y miſcuerint, ut minus ægre feras, quod ſupra occurrit in Milone.



SOPHOCLES
Poeta cothurno et gravitate omnibus Sublimior.
Apud Fulvium Ursinum in marmore.

SOPHOCLES.



IDEM tempori contigit Sophocles, nobilis Athenienſis, ingens ſcenæ tragicæ decus, quam non ingenio tantum illuſtravit, ſed & ipſis actorum ornamentis reddidit decentiorem & ſpectantium oculis jucundiorem, quum in prima ætate ad talia ab Æſchylo formatus diu ſingula tragœdiæ munia, prout impleri ſolebant, perſpexiſſet. Maxime tamen placuerunt ſtudia ejus, quibus immortale etiam extra Atticam accepit nomen, adeo ut unum Homeri diſcipulum agnoverint, quum ex eo potiſſimum gauderet ſua florida carpere; non tamen ita, ut non ex aliis ſimul optimum quidque tangeret, ac præſertim ſuæ meditationi plurima deberet. Cæterum non contentus hac otii tranquillitate, prætor etiam internis Græcorum bellis adſuit ſimul cum Pericle, ducatumque ſatis inclitum & validum ad frangendos Lacedæmonios geſſit. Sed vivida laus ei ab ſcriptis & inventis ad cothurni emendationem venit. Hinc in ipſa Pœcile pingi meruit cum cithara, & ſepulchro ejus Siren impoſita notabat, cujus reliquias tegeret. Sed perierunt omnia iſta illuſtria. Quod in manus Fulvii Urſini venit, eſt hic vultus, ut ſcribit Gallæus in monumento cujuſdam poetæ extra portam Aureliam effoſſus, ſuper cujus reliquias ſtatua Apollinis erat poſita cum imaginibus novem Muſarum, Homeri præterea & poetarum Euripidis & Pindari. Id vero quod vides & Sophoclem continet, e marmore, nunc orbis vel diſcus; at in Menandro, cujus ab altero latere applicita erat facies, rotunda vel orbiculata tabella vocatur Jo. Fabro, clypeus Bellorio. Nec eſt quod huic appellationi lis moveatur, niſi forſan ita quum placuerit antiquioribus Sophoclem ſervare, id recentiores tenuerint ad memoriam ſo-






mnii de patera, ut vocat Cicero [1], quum Græci dicant ΧΡΥΣΗΝ ΣΤΕ-

1. Libro 1. de Divinat. cap. 25.


ΦANHN, ex Herculis ſano ablata. Sed ita ab exemplari per Urſinum edito diſceſſit Gallæus, diadematum referens, ut in eo nihil ad Sophoclem, ac prorſus merito reliquerit eum Bellorius. Teſtatur autem Gallæus aliam imaginem in marmore penes Fulvium fuiſſe, cui caput Menandri quoque conjunctum fuit. Eam quum poſtea depinxerit Cl. Gevartius, his inſertam habes. Quin & in anulari corniola apud eundem exſtitiſſe idem notat.



EVRIPIDES
Tragicus Illustris, Sophoclis æmulus.

EURIPIDES.



LLE Sophocles eſt, qui tam miſerabiliter luxit mortem Euripidis hujus, ut ipſe major natu, amictus pullo mimos demptis coronis in ſcenam induxerit ad ſignum amariſſimi luctus; adeo non invidit venuſtati & gloriæ hujus etiam tragici, quæ quidem erat maxima. Itaque hic eſt, quem ſuſtinuerunt edere ipſas Homericas Charitas æquantem; hunc dixere decus Athenarum & theatri velut luſciniam quandam; hunc, a quo ipſæ (quis credat?) recrearentur Muſæ. Et tamen ut talis eſſe poſſet, acribus ſtudiis acquiſiverat, quum Græcis non contentus etiam peregrina ab Ægyptiis petiverit, & quidem in comitatu Platonis. Sic Philoſophica etiam ab Anaxagora acceperat, ut iis ad certos locos immorari & exſultare tragœdia poſſet; immo & auctoritas ejus in ſcena diſſerentis hinc phyſiologicis interponeretur. Unde ſimul callida ſolertia ejus in philoſophia per tragœdiam tractanda & Græcorum facinoribus ſub perſona taxandis; ſed & honeſtas animi in derelinquenda patria, illa Græciæ Græcia, quum gravaretur indignitatem matrimonio illatam: ut minus mirum ſit ideo nonnullis habitum fuiſſe alieniorem ab lætitia & ab vaſerrimo Ariſtophane illuſum, qui viciniam inter vitii ac virtutis vocabula optime didicerat. Manſit tamen Euripides etiam poſt mortis abominabile genus judiciis omnium ornatus, neniis quoque ac ſine dubio multis ſtatuis, qualem cum Sophocle ab Atticis nactus fuit in ipſo theatro: cujus audet Jo. Faber ſuſpicari caput eſſe, quod ab ipſo Urſino eſt editum, & hic in medio poſitum, Bellorio potius opinante alium Euripidem eo referri, quia ab aliis omnibus ejus imaginibus ſimilitudine prorſus differat; niſi ætas annum LXXV. jam numerans ſupponi poſſit talem differentiam afferre. Hæc autem imago quum ab Bellorio producatur ex gaza Neapo-








litani Præfecti Caſpari de Haro, judicavi addendum quoque vul-

tum ab Gallæo editum, ex marmore Cardin. Farnesii, in cujus pectore sculptum ΕΥΡΙΠΙΔΗΣ, quum in Herma ejus apud eundem Ursinum & in collo capitis, quod memoravi, incisum sit ΕΥΡΙΠΙ-ΔΗΣ. Tertium quem vides duxit Gevartius ex marmore Ursini.



ZENO

Stoicæ sectæ, Auctor.

Ex marmore antiquo apud I. Episcopium

ZENO ELEATES.



MAGNUM tunc quoque Græcis & artibus & animis ornatum attulit hic Zeno, ex majore quidem & Italica Græcia oriundus, & forsan hinc quoque imbutus Pythagoræis. Sed quum patria illic ei contigisset Elea, illa legibus tunc bonis florens Elea, plurimi eum ad Parmenidem referunt, & ipsum Eleaten. At ille quidem sic audivit magistros, sic eis adhæsit, ut tamen se quoque audiret, nec dubitaret omnibus perspicaciam suam admovere. Hinc potuit scribere, quæ fatentur auctores fuisse ΠΟΛΛΗΣ ΣΥΝΕΣΕΩΣ ΓΕΜΟΝΤΑ. Hinc multa dixit politius, multa invenit, quorum regulam postea tenentes alii novam constituerunt philosophandi sectam; adeo quidem ut Dialectices quoque inventor audiat. Nam quod ad animi robur attineret, prorsus non minor Mutio Scævola, quum tormentis cogeretur quædam indicare, duravit linguæ partem morsu avulsam in os lacerantis exspuere. Huic igitur Zenoni istum Hermam, quem primus protulit, vindicabat Ursinus, non Cittiæo, quum in utroque quasdam corporis notas edat Laertius, quæ Eleaten, non Cittiæum viderentur demonstrare. Istum Hermam postea suo tempore non apparuisse notat Jo. Faber, atque ideo Zenonis imaginem prolatam testatur Gallæus ex marmore apud Card. Farnesium, eaque in ædibus Farnesianis exstare scribitur ab Bellorio, qui marmoreum Hermam desumptum ex schedis Fulvii Ursini reposuit. Quin etiam notat Faber effigiem ejus in gemma anulari, *Niccolo* nuncupata, haberi satis illis similem. Hæc videtur esse, quam Cl. Gevartius delineavit, subscriptis etiam literis, *Apud F. Ursinum in gemma*. & orbiculo inclusam hic vides; cui alteram Gallæo placitam apposui. Nuper






adeo diadematum hoc caput prolatum fuit; quod si est antiquum,

 certe

certe contra voluntatem Zenonis ita factum fuit, qui ΥΠΕΡΟΠΤΙΚΟΣ ΤΩΝ ΜΕΙΖΟΝΩΝ Eleæ maluit abſcondi, quam Athenis conſpici. Unde Herma Urſini prorſus cum Bellorio præferri meretur. Iſtud fere dictu abſurdum eſt, quod quum Urſinus ſcribat eum floruiſſe *Olympiade fere* LX. *quo tempore Cyrus in Aſia regnabat*, Gallæus ita mutavit, *vixit Olympiade* CX. *eodem tempore, quo Cyrus Aſiæ imperium tenebat:* Bellorius autem, *Vixit Olympiade* CX. *eodem tempore quo Cyrus Aſiæ imperium tenuit*.



ATHENARVM ET HERACLEAE
concordia.

ATHENARUM ET HERACLEÆ CONCORDIA.




FERT animus in hoc rerum articulo gratulari patriæ, ubi primum tam illuſtris candor prodiit ad hiſtoriæ Græcæ iſtam partem illuminandam. Antequam enim inter ſe gladios ſtringerent Græci, pax erat per Cimonem, ut audivimus, facta, ut quidquid extra Cyaneas inſulas & Chelidonias pateret, illuc aditus eſſet Perſis, quum citeriora accenſeri juberentur Græciæ. Jam & Ariſtides ad claſſis & exercituum Græciæ tutelam conſtituerat, quantum pecuniæ conferretur. Erat Græcæ originis urbs inſulis Cyaneis appoſita verſus orientem, & quoniam illic ab Bœotis vel Megarenſibus condita, Perſicam ipſa quidem amicitiam magni fecerat; nunc tamen cenſebat princeps Græciæ Attica illam quoque Græci generis habendam collationemque exigendam: quam *ob amicitiam* (vel ut habent nonnulli etiam optimi codices *ſub amicitia*) *regum Perſicorum* abnuentes Heracleenſes ex more ab Athenienſibus ſolitis ſuadelam & neceſſitatem admovere futurum erat ut cogerentur Lamacho duce miſſo cum navibus; niſi cauſam hanc improbantes dii tempeſtate duntaxat damno navium Atticarum interceſſiſſent, & ſimul Heracleenſibus dediſſent honeſtiſſimam mentem, ut ultione rejecta redderent ſibi amicos, quos infeſtos hoſtes experti erant. Hiſtoriam narrat Juſtinus; eamque ſic in auctore illo tractant Bongarſius & Berneccerus & Gevartius in Papinianis Lectionibus, tanquam obſcura prorſus eſſet & vix ex uno Juſtino nota, ut inde in ſuo Lamacho & Malcho dubitantes hæreant. At vero certum eſt id contigiſſe anno octavo belli Peloponneſiaci, & manifeſte rem narrat Thucydides libro IV.[1], ut ſcias, licet in nonnullis MSS. & illis bonis exſtet *Malachus*, tamen *Lamachus*, quod in aliis perinde bonis legitur, veram lectionem ſimul & hiſtoriam eſſe. Quam eximia fide confirmat hic nummus, ut exiſtimo, cuſus, quum poſt reditum Lamachi, inſperatam ſimul navium amiſſionem, ſimul ſalutem ab illis partam renuntiantis, arctiſſima amicitia inter Athenienſes & Heracleenſes juncta & conſtituta fuit, ſcribente Juſtino & teſtante hoc nummo. Thucydides omittit occaſionem amicitiæ inde ortæ, Juſtinus viam quam ſervati ab Heracleenſibus tenuerunt; nummus fideli monumento, ſed tacito, fatetur, quid inde exſtiterit, ita tribus velut tabulis hiſtoriam explentibus.

 Cujus

1. Ἐς τὸν Πόντον ἐσπλεύσας Λάμαχος, ἐν τῇ Ἡρακλεώτιδι ὁρμίσας ἐς τὸν Κάληκα ποταμὸν, ἀπόλλυσι τὰς ναῦς, ὕδατος ἄνωθεν γενομένου, καὶ κατελθόντος αἰφνιδίου τοῦ ῥεύματος· αὐτός τε καὶ ἡ στρατιὰ πεζῇ διὰ Βιθυνῶν Θρᾳκῶν, οἵ εἰσι πέραν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἀφικνεῖται ἐς Χαλκηδόνα.

Cujus propterea nummi ſignati tempus ſic annotaviſſe recte videor, & reſtituti recognitique gloriam benignitati & elegantiæ præſtantiſſimi noſtri Jacobi de Wilde acceptam refero.


SOCRATES
Ex Pythiæ oraculo unus vere sapiens
Apud. Ant Augustinum in gemma.

SOCRATES.




Sed tandem mediis Athenis insedit ipsa Philosophia, ipsa animi humani constantia & in quibuscunque undis securitas plane inconcussa. Hæc enim obtinuit Socrates, nec in eo negari possunt nimium multis argumentis firmata, eaque ipsa nullo unquam genere ne per ipsam quidem mortis nenecessitatem violata. At is tamen parentes habuerat statuarium & obstetricem, & satis tenui illos in re; corporis quoque formam & ipsam faciem non sane gratissimam, ut sæpe contumeliarum origo esset. Inde & modus adolescentiæ transactæ dubius; nunc statuis poliendis intentum legas, nunc Anaxarcho & Archelao auscultantem, nunc & militia exercitum, eaque laudabiliter & gloriose, etiam in cladibus, peracta. Mira prorsus ethnicismi ostentatio; & cui quod par in hac parte obducatur, nihil est. Hinc nomine ejus, sententiis, dictis, discipulis, beatitudine omnia plena, quibus exhauriendis institutum nostrum non est. Vultu ejus continenter & ubique spectando videntur hinc quoque certavisse populi, urbes, hominesque non minus, ac cælatores fingendo & sculpendo. Certe tam multi ac varii reperiuntur, ut nec finis nec modus sit. Collegerat hos tres Hermas numeris 1. 2. 3. notatos cum imagine sedentis sub numero 4. Fulvius Ursinus: repetitusque prior ab Gallæo, qui notat esse apud Card. Farnesium in marmore, etsi locet in rotunda basi. Ex pri-



ore Ursini editione reposuit Bellorius, ita tamen, ut vitiose to-

tum faciat calvastrum, & sine ulla ruga frontem. Idem quoque Bellorius ita scribit, ut in quarto neget se videre, cur Socrati tribuant istam imaginem; quum Ursinus causam suam egerit his verbis: *Socrates facie Silenis simili, pressis naribus. nudum autem dextrum humerum habere consuevisse narrat idem Xenophon in Symposio, qua forma in tabella quoque e marmore sculptus Socrates videtur, volumenque manibus tenens, quod cum Xenophonteo etiam quodam loco in supra adducto libro convenit, in quo cum Critobulo pervolvens librum quendam Socrates inducitur*. Ad hæc connivet iste, eo indignius, quod ambiguitas illa quæcunque moveatur jam quoque apud Jo. Fabrum, & ita repellitur, ut ipse inde videatur sumere aliquid in rem suam. Numeros 5. & 6. præbet Caninus. Septimum ex nomismate æreo desumpsit Gallæus, ubi tamen adscripsit Gevartius *in gemma*. Octavum dedit manus Gevartiana, quæ sic Socratem & Platonem *Apud F. Ursinum in gemma* repertos delineavit, de qua sic ante scripserat Jo: Faber: *Exstat insuper apud eundem Fulvium una cum effigie Platonis ejus discipuli, in corniola anulari gemma artificiosissime incisa, quam credibile est a quopiam utriusque studioso gestatam fuisse*. Hæc quidem ad Socratem. Sed ad Plutonem notat quoque illam fuisse olim Prosperi Cardinalis sanctæ Crucis. Verum præter hæc omnia remittendus est Socratophilus ad collectionem gemmarum, quæ vultum hunc exprimunt, factam ab Joan. Chifletio, ubi etiam ista ipsa gemina facies apparet; sed penes quem exstiterit, non additur.





ALCIBIADES
Dux Atheniensium.

ALCIBIADES.



UIC jungendus omnino eſt Alcibiades, qui magnam juventutis partem in Socratis conſortio fecit, & mox mutabilem fortunam expertus varieque inter bella jactatus, etſi non ſententia eorundem tyrannorum & in carcere, certe ope & interventu, circa idem tempus longiſſime ab patria renuntiare vitæ coactus fuit. Interim quum haberet omnia naturæ ac fortunæ dona, ſic vitam quoque inſtituit, ut experiretur omnia. Id certe eſt, quod jure mireris. Quum hic juvenis ita agglutinatus fuerit Socrati, qui non didicerit ejus exemplo, ut injuſtas civium iras tempori potius permitteret, quam ita cruente & impie ultum iret? Habuit igitur perſpecta virtutis humanæ bona, ſed uſui adhibere infelix nequivit. Verum nec charta hæc exſpectat, ut millies alibi dicta rurſus illi inſcribantur, nec calamo meo vacat recenſere illa tandem malo miſeroque fine reciſa. Alcibiadem quis non dixit? Quæ res noſtra eſt, hujus Hermam capite truncatum edidit ipſe Urſinus cum literis ΑΛΚΙΒΙΑΔΗΣ ΚΛΙΝΙΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Sed poſtea Gallæus vultum edidit profeſſus ita exſtare *Apud Fulvium Urſinum in gemma:* quod ſic proſequitur Jo. Faber: „Caput Alcibiadis in gemma, quam Italico idiomate Corniolam „vocant, viſitur forma ovali ab artificioſa manu expreſſum, ut „& alterum, quod forma eſt quadrata; ut non abſimile vero vi„deatur, ſi dicamus utrumque gemmæ anularis loco fuiſſe. Hanc „autem eſſe ipſam Alcibiadis imaginem, ex comparatione alte„rius Corniolæ apparet, quam Petrus Bembus Cardinalis habe„bat; in qua præter Alcibiadis effigiem Socratis quoque caput „cum ejus nomine Græcis literis inſculpto videbatur. Extabat et„iam ſuperioribus annis antiqua ſtatua marmorea in forma Socra„tis Alcibiadem amplexantis, quæ inter antiquitates Angeli Co„lotii Epiſcopi Nucerini prope aquam Virginem conſpiciebatur; „cujus mentionem facit Andreas Fulvius tempeſtatis illius anti„quarius: quæ ſane ſtatuæ Socratis & Alcibiadis, non abſimiles „iis, quas modo nominavimus, repræſentant imagines. Ad hæc poſteriora reſpexit Chifletius gemmam quartam earum, quibus Socrates depingitur, commentans.


ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣ
ΦΙΛΙΠΠΙΔΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ



ARISTOPHANES
Poeta Comicus
Apud Magnum Etruriæ Ducem

ARISTOPHANES.



SED quantopere iſte dilexit ac reveritus eſt illum barbatum juſti magiſtrum non minus quam tenacem ejus in tota vita exercendi ; tam ſanna & riſu eundem excepit hic Ariſtophanes . Vir ille quidem doctiſſimus, & Atticarum rerum pergnarus; ſed qui præſentia modo reſpiciens , modo ut erant corrupta faſtidiens , oſtendit & bonos & malos perinde ab procacibus poſſe atteri , & ne in republica quidem deeſſe , qui vel Epriis Marcellis ſubſerviant ; certe ſuſque deque habeant , ſive Cleonem ſive Socratem nominent. Illud ΙΟΥ ΙΟΥ Ω ΖΕΥ ΒΑΣΙΛΕΥ quis non horreat potius quam revereatur ? Ille tamen ea ratione ad ipſius philoſophiæ & honeſtatis vocem exſecrabili cicuta ſubripiendam tulit adjutorium. Itaque ſi Platonis eſt illa teſtificatio , quæ Gratias æternum templum quærentes ait mentem unam Ariſtophanis ad id probaſſe ; eam ante iſtud facinus compoſitam credo , & ut forſan probavit acumen Comici , & Atticam linguam , ut in mortui lecto ille ſit repertus; ita amare parum potuit . Et ſane parva laus erit Joannis Chryſoſtomi, ſi Ariſtophane tam ſtudioſe uſus fuit , ut acer & vehemens fieret in notandis ac perſtringendis moribus, mulierum præſertim, prout ſcribitur ab nonnullis. Sed videlicet debebat inimica eſſe illi faciei contractæ & , ut ſic loquar, Silenicæ hæc recta & oblonga, & ad ſcomma adſidue velut efflandum ita coeunte inferiore ejus parte, ut ore corrotundato ſibilaviſſe ſemper appareat. Id quod non ſatis accurate videtur obſervaviſſe Gallæus latiore oris rictu eam exporrigens , quam fecerat Achilles Statius. Quum enim Urſinus ſolum Hermam decollatum proferat, quem notat eſſe *apud Ferdinand. Card. Medic.* Statius ipſum caput hoc quoque protulit cum inſcriptione in pectore , quale conſpici notat *in hortis Cardinalis de Medicis prope villam Julii III. Pont. Max.* Itaque relicto Gallæo Statianum exemplar quoque retulit Bellorius, & inde hic locatum ; nec facile dixero , quid decerni oporteat , aut qui Urſinus faciem Ariſtophanis non viderit.




ΛΥΣΙΑΣ
ΛΥΣΙΑΣ
ΛΥΣΙΑΣ
ΚΕΦΑΛΠΥ
ΑΘΗΝΑΙΠΣ
LYSIAS
Attica Venustate facundus

LYSIAS.




UDICIO Socratis adhæret hic Lysias, tantæ facundiæ orator, ut diffidens ingenio illius & se judicans aliquid dignum Socrate, atque etiam utile magis illi futurum, quam si ipse Philosophus se advocavisset, exarare posse, sustinuerit hanc causam meditari. Sed quum nihil iste innocentissimus vir admisisset excusandum aut patrocinio egens, quod tamen meditationis suæ caput fecerat Lysias, ut colligi potest ex auctoribus responsum Socratis referentibus; nedum ut alienos lacertos exspectaret; arrogantia ejus nil nisi rejici meruit. Et alioquin hæc magis exercitatio facultatis suæ placebat huic Lysiæ, ut scriberet orationes, quam ut ipse in forensibus causis versaretur. Id quod magna cum laude fecit, quam sine invidia decantarunt præstantissimi apud antiquos & harum rerum peritissimi arbitri. Neque tamen hac solum virtute censendus fuit Lysias sive Atticus, prout Ciceroni fertur, sive Syracusanus, ut ex Trogo Justinus ait, orator; sed & magnifica abundantium opum administratione, qua quingentos milites stipendio suo instructos in auxilium patriæ communis eloquentiæ misit. Ad quam rem mirifice conferebat officina scutaria, quam ab hoc Lysia legimus fuisse sustentatam. Hinc igitur & vivo & mortuo honores habiti, ex quibus ad Fulv. Ursinum pervenerunt hæc tria marmora, detruncatus nempe Herma, ac duo capita, singula nomen oratoris præferentia. Et Ursinus quidem notat in indiculo *Lysias 75. apud Alexandrum Cardin.* non distincto, quem inde habuerit, an omnes. Hinc Gallæus publicat Lysian *apud Cardinalem Farnesium in marmore* sub vultu prorsus alienissimo, naso nimis longo cum fronte omnino relicina, ut loqui volunt Apulejum, vel magis tota nuda ac ornamento crinium destituta, quum Ursinus eam conspicua pilorum nota insignem ostendat, ut merito deseruerit Gallæum Bellorius, quem nos quoque sequimur. Jo. Faber alium Lysian noverat apud Horatium Victorium etiam in Herma, quem noluit publice aspici.


CRATEVAS
medicus et herbarum peritissimus

CRATEUAS.


IPPOCRATES ipſe eſt, qui ætatem hujus Crateuæ facit noſtro tempore manifeſtam, quippe quum exſtet principis illius Medici epiſtola ad eum ſcripta, & quidem talis, ut prorſus in pretio videatur illum habuiſſe. Nam & laudatur ibi proavus ejus ſimili nomine, & peritiam rei herbariæ in eo mirari ſe ſolitum ſatetur, & adjutorem adſciſcit in Democrito ad ſanitatem revocando. Et alioquin antiquitati probe notum ac celebratum ſuiſſe plurima teſtimonia declarant, quæ collegit Pet. Lambecius in Libro II. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis; ex quibus omnibus conſtat incubuiſſe præſertim doctrinæ herbarum, ita ut etiam compoſuerit hujus ſtudii ſui monumentum, quod inſcriptum ivit PIZOTOMIKON, etiam inter manus priſcas ſatis uſurpatum. Itaque quum ex memorabili Dioſcoridiani voluminis pictura vir ille doctiſſimus revocaverit facies quorundam Medicorum, quas Bellorius etiam adnexuit choro Rhetorum; prout Chiron & Machaon præceſſerunt, ita porro augeatur hic catalogus conſpectibus inſignium iſtorum hominum, quæcunque etiam ſæcula his lineamentis eos conſpiciendos dederint.



HERODOTVS

Herodote tuis dant scriptis nomina Musæ, Tuque doces
Musas dulcius ore loqui

Ex Bibliothecâ Fulvij Vrsini in marmore.

HERODOTUS.



SED præ reliquis profutura in omnem posteritatem opera oblectarunt isto tempore lucubrationes suas Herodotus, & Thucydides. Quorum imagines junctas quum unus lapis ad nos propagaverit, eademque ætas simul utrumque ostenderit, idem quoque labor utrumque demeruerit, etiam vicina relatio in hoc catalogo eos jungat. Herodotus, illud nomen historiæ & omnibus hanc veritatis partem amantibus venerabile, mihi certe sacratissimum, quæ fata quasque migrationes subierit ex Asia in Europam, ubique jam dictum scriptumque est. Hujus Herodoti imaginem non nisi unam notam habuerunt Achilles Statius & Fulv. Ursinus, certe quum primum ediderunt has imagines: hinc simul uterque fatetur *in ædibus Cæsiis*, vel *apud Cardinalem Cæsium* exstitisse. Bellorius hanc ipsam cælaturam imitatus est. Quæ quum sit admodum rotunda, Gallæus aliam mire oblongam & ingrate coactam faciem cælavit, pariter hic adjectam. Et tamen Jo. Faber sic scribit; Imago Herodoti



„historici, ex marmore est repræsentata, & in pectore inscriptum „nomen habet ΗΡΟΔΟΤΟΣ. Alia similis in marmore penes Fulvium „exstat, quæ & in pectore idem nomen habet; sed pone affixa „ei est Thucydidis effigies, ex uno eodemque marmore. Quasi quæ depicta esset ab Gallæo, ipsa foret Cæsiana; & supprimeretur Fulviana: quum hæc tamen videatur ab Gallæo delineata ob summam differentiam, qua distat ab Cæsiana. Sed & Fulvianam postea depinxit Cl. Gevartius num. 2. unde patet dissimiles valde esse, non similes, ut dicebat Faber. Boissardus quoque ex hortis Julii III. Pont. Max. Herodotum in æs conjecit, alienis sane notis, & ideo hic non insertum. Verum ampliora sunt in Herodoto spectanda, qui præcipue homines devinxit varietate historici argumenti, quod non tam Musarum nominibus distinxit, quam potius ipsas Musas rem gestam aut relationem multiplicem enarrantes ex Parnasso devocavit, maxime ut Jonici

 cha-

characteris ſuavitas guſtari poſſet. Id notum eſt publice, & non noſtri modo, ſed etiam priſci, Romani æque ac Græci, multos ſe oſtendunt in laudibus Herodotei ſcripti: atque etiam fatentur eſſe aliquid ſingulare, quod tantopere in eo placet; præſertim in Jonicæ loquutionis exemplo per eum ſervato: quum tamen ſi attendas, quantum illic occurrit ab Joniſmo vel remotiſſimum? Adeo ut ſi veteres non alium agnoverunt Herodotum, quam prout hodie exſtat, mirari non oporteat quibusdam diſplicuiſſe; præſertim quum in narratione etiam ipſa toties ſit inamœnus. Itaque ferme luſiſſe operam dixeris, qui multiplicandis ejus exemplaribus præſederunt. Ut veniam, quo tendo, & Herodoti conditionem tibi notam faciam; an credimus etiam legiſſe apud eum veteres tam certos ejus laudatores verba Tomyridos reginæ ad cadaver Cyri: [1] *tu quidem meum viventis & in pugna victricis filium perdidiſti dolo captum: at ego te, prout interminata ſum, cruore ſaturabo.* Hæc priora tali ſale ſunt condita, ut potuerit melius auctor ea omiſiſſe; quum & nihil in ſe habeant, niſi quod narratio præmiſit, & nihil amplius conferant ad inſequentia. Pingue totum eſt ſine ulla acrimonia, præſertim in dubio etiam Græciſmo. Ita ſcias corrupte Herodotum vulgo in Europa haberi, neſcio quo tantæ labis auctore. Nam Herodotus audierat longe falſiore acumine reginam dixiſſe ΣΥ ΜΕΝ ΕΜΕ ΖΩΣΑΝ ΤΕ ΚΑΙ ΝΙΚΩΣΑΝ ΣΕ ΜΑΧΗ ΑΠΩΛΕΣΑΣ, ΠΑΙΔΑ ΤΟΝ ΕΜΟΝ ΕΛΩΝ ΔΟΛΩ· *tu quidem me vivam & vincentem te prælio perdidiſti, filium meum intercipiens dolo.* Agnoſcis leporem, quem Herodotus dignum duxit, ut memoraret. Hoc eſt pretium membranæ Mediceæ, unicæ ad hanc rem fidelis; unicæ, ad quam reſtitui Herodotus poteſt. Id ſi intelligis precare. Sed & notari debet, quod fere in oblivionem ſeceſſit, quemadmodum Urſinus monuerit de patre Herodoti Xylo nominato, & epigrammate apud Stephanum Byzantium v. ΘΟΥΡΙΟΙ corrigendo (vide quam nullus inter Stephani editores vel attigerit, nec in Hiſtoricis Græcis Voſſius) ut legatur ΗΡΟΔΟΤΟΝ ΞΥΛΕΩ, non ΛΥΞΕΩ, quippe quod integrum de vetere libro Joannis Zezæ deſcripſerit, qui Xylum Herodoti patrem non Lyxum nominandum doceat, adductis multorum teſtimoniis, & inprimis Zenonis auctoritate, a quo id epigramma accepiſſe ſe Zezes ſcribat. Ac tamen apud Lucianum de Domo etiam dicitur ΗΡΟΔΟΤΟΝ ΤΟΥ ΛΥΞΟΥ ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΟΘΕΝ: unde ſi vera eſt annotatio Urſini, etiam Lucianus reſtituendus eſt, niſi is pravo codice in errorem inductus ipſe etiam prave ſcripſerit.

1. Σὺ μὲν ἐμεῦ ζώσης τε καὶ νικώσης ἐς μάχην ἀπώλεσας παῖδα τὸν ἐμὸν ἑλὼν δόλῳ· σὲ δ' ἐγὼ, κατάπερ ἠπείλησα, αἵματος κορέσω.



ΘΟΥΚΥΔΙΔΗϹ


THVCYDIDES

Secundus post Herodotum historiæ Scriptor, veritate primus

Apud Fulvium Vrsinum in marmore.

THUCYDIDES.


ERODOTO Thucydidem junxerunt olim quidem varia. Nam & legentem Muſas ſuas Herodotum dicitur audiviſſe, & materiam ſcribendi proximam ſumpſit: etiam vicina ſepulchra exuvias eorum in Attica terra texerunt; & continua hinc veterum comparatio alterum alteri appoſuit. Itaque & ipſe Florentiæ poſt perluſtratum Herodotum convertebar ad vetuſtiſſimum Thucydidis exemplar, quod pluteo LXIX. ſervabatur, inſpiciendum, niſi ex aliquot foliorum ſpecimine deprehendiſſem diligenter iſtum ſcriptorem ad veteres membranas exactum fuiſſe. Unde tanto minus abire nobis licet, quod utriuſque faciem ad noſtros annos unum marmor tulerit; ne dicam ab ſola ætate vindicari in hujus operis ſerie, quo minus ſeparentur. Hic igitur Olorides & fati & generis magni, indolem pariter ab Anaxagora & Antiphonte politam ad vitæ actum adferens, rei militaris quidem incerta ſuſtinuit quocunque eventu; ſed æternam nomini ſuo famam dedit collocatio otii poſt miſſionem & patriæ iram in ſcribenda hiſtoria diſſidiorum Græciæ, quorum nonnullis interfuerat, propter & veritatis ſtudium & ipſam ſcribendi rationem verbis ſententiiſque mirabili delectu illuſtribus celebratiſſima, veterum ſimul recentiumque conſenſu, & hinc omnibus chartis loquentibus, unde illa peti poſſunt. Hæc vero facies occipiti ſuo jungens Herodotum Cæſio nomini debetur: attamen placuit Bellorio teſtari *Apud Fulvium Urſinum in marmore*. Atqui Fulvianum marmor cum averſo Herodoto id eſt. In utra-



que autem ſicut ſatis conſpicitur ΕΙΔΟΣ ΣΥΝΝΟΥΝ ΤΟ ΠΡΟΣΩΠΟΝ, ut in eo narratum fuiſſe obſervat Marcellinus; ſic ΚΕΦΑΛΗ ΚΑΙ ΤΡΙΧΕΣ ΕΙΣ ΟΞΥ ΠΕΦΥΚΥΙΑΙ in Cæſiano non ſatis apparent, quum ſit vel maxime rotundum caput; nec ſcio, an vitioſe exceptum. Certe apud Boiſſardum part. VI. ex hortis Julii III. Pontif. longe al-

tior fingitur frons & comæ bene inflexæ, ut patet ex secundo exemplo. Cui quoniam ipse conferre nihil queo, aperiam quod ex patre didici, nempe male haberi verba ejus libro v. pag. 182. ista [1] quæ intelliguntur Latine *declarato victore Bœotorum tribuno plebis, ipse progressus in locum ludorum Lacedæmoniis interdictum*. At significat Thucydides *quum Bœotorum commune pronuntiaretur a præcone vicisse, quia non licebat Lacedæmoniis certare*. Xenophon lib. III. hist. Græc. pag. 490. pro Bœotis ponit Thebanos.

1. Καὶ ἀνακηρυχθέντος Βοιωτῶν δημοσίου κατὰ τὴν οὐκ ἐξουσίαν τῆς ἀγωνίσεως, προελθὼν ἐς τὸν ἀγῶνα.






MOSCHION COMICVS POETA
Apud Fulvium Ursinum in marmore.

MOSCHION.



D hanc ferme ætatem placet conferre hunc egregium virum, cujus nihil mansit residuum præter solum nomen, & honorandam certe statuam, unde judicia antiquitatis in eo patent. Itaque quidquid de eo dici potest, sic contulit Ursinus, qui primus etiam edidit; *Moschion poeta Comicus, quo tempore vixerit, quove loco natus fuerit, nondum reperire apud antiquos scriptores licuit. Ejus autem versus ex Comœdiis quas scripsit, multi adducuntur a Clemente Alexandrino Stromatum lib.* VI. *&* *Joanne Stobæo, qui fabularum quoque nomina, Themistoclem scilicet & Pheræos, adjiciunt.* Nec diversa nec meliora sunt, quæ de eo profert aut Faber aut Bellorius. Sed graviter quidem mox uterque errat; quum Ursinus in indiculo diserte notet *apud Hieronymum Garimbertum*, sustinent illi scribere Bellorius *Ejus statua marmorea extabat apud Fulvium Ursinum, in cujus basi nomen* ΜΩΣΧΙΩΝ *legitur*; Faber autem *Apud Fulvium Ursinum in marmore*. Alteri debetur custodia & conspectus statuæ, ex indicio ipsius Ursini. Itaque quum omnia nos deserant, nec vel Vossius inter poetas eum voluerit agnoscere, id saltem ex comœdiarum titulis discimus eum post Themistoclem vixisse, sive hoc ipso, seu seriore & remotiore sæculo: quod quum accurate definiri vix etiamnum queat, huic articulo præfiscine insulciam. Equidem nomen posset videri idem Moscho, ut Moschus & Moschion eadem forent, perinde ac *Telesphorus*, *Telesphorion*, nisi materia carminis, quam Moschioni huic attribuunt scriptores, & altera quam ex Moscho reliquam habemus, longe eos separaret. Nec alioqui licet hoc temere statuere. Certe noster isto nomine etiam notus fuit Plinio lib. IX. Natur. histor. cap. 4. *Scripsit & Moschion Græcus unum de raphano volumen.*






LAMAS
Magnus Rhetor Aeschinis Præceptor.
Apud Cardinalem Caesium.


LEODAMAS.



In hoc ipſum incertum ſimul conjiciatur hic, quem ex arbitrio & exemplo hominum doctorum ita appello, Leodamas ex ædibus Cæſiis progreſſus, ut aperit Urſinus, quum Gallæus ſubſcribat eſſe *apud Ducem Aquæ Spartæ in marmore*. Hoc nomine quum edatur Æſchinis præceptor, judicavit eruditus ille Urſinus in fragmento literarum quæ ſalvæ ſunt, iſtum demonſtrari, ita ſcribens: *Leodamantiſne, an Alcidamantis hæc imago ſit, cum ex mutila nominis ſcriptura affirmare non liceat, labor tamen ut credam Leodamantis effigiem indicari: quod trium tantum literarum vel minus ſpatium abruptum eſſe e marmore appareat, non quatuor, quæ in Alcidamantis nomine deſiderantur. Fuit autem Leodamas dicendi magiſter & Æſchinis oratoris præceptor, ut ſcribit Plutarchus in Æſchinis vita. Alcidamas vero rhetor antiquus & nobilis, qui mortis laudationem ſcripſit, ut Cicero ait in Tuſcul. libro primo.* Ubi vides hæſitationem viri optimi, & magno cum pudore ac moderatione conjectantis. At non ita poſteriores; quorum Bellorius notat: *Tres primæ nominis literæ* ΛΕΩ *deſunt in marmore, temporis vi deletæ, ſed ipſas ſupplevit antiqua gemma viridis Diaſpri, in qua ſculpta erat eadem Leodamantis imago cum ejus integro nomine* ΛΕΩΔΑΜΑΣ Utinam hanc quoque protuliſſent! Sed iſta habet ex Fabro. Quid tamen eſt, viri boni, quod ab Urſino vix trium literarum ſpatium abruptum dicatur aut minus etiam? Et certe minus ſpatium iſti pectori datur in editione Achillis Statii, ubi editur ΔΑΜΑΣ, primæ vocali attributa alia forma, quam retinet Gallæus, niſi quod Δ præmittat. Quid igitur? an non Damas potuit ſcriptus fuiſſe in medio pectore, reductius ab extremitate poſitam primam literam habens, perinde ut in Herma Platonis vox ΠΛΑΤΩΝ magis in medium ſeceſſit, quam altera vox ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ? Porro an non infinita apud antiquos fuit nominatio Damas, notiſſima & in libris & in nummis? adeo ut frivola etiam ſuſpicione in nummo Ciceronis Laodiceno apud Seguinum Harduinus vocem ΛΑΒΑΣ audeat mutare in ΔΑΜΑΣ, *hoc eſt*, *Damaſias*, ut ipſe dicit, perinde ut in nummo Acraſiotarum ΔΑΜΑ ΑΤΤΑΛΟΥ explicuit *Damaſia Attalo* vel *Attali F.* quaſi nemo Græcus dictus fuiſſet Damas. An non in inſcriptione Thyatirena apud Sponium legimus ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΛΠΙΟΥ ΔΑΜΑ ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ? ubi male vertit egregius ille vir *Marcus Ulpius Dama-Parodoxus*, (niſi vitium editionis eſt) quum vox ΠΑΡΑΔΟΞΟΣ nihil ad nomina pertineat, ſed ipſum virum deſcribat, ut in inſcriptione Smyrnenſi novimus ΠΥΛΑΔΗΝ appellari ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ reſpectu certaminum in ludis. Apud eundem Sponium in lapide Eleuſinio ΑΡΧΙΑΣ ΔΑΜΑ ΤΑΝΑΓΡΑΙΟΣ. In nummo Rhodio Theſauri Palatini ΔΑΜΑΣΡΟ. Talis eſt Regis Galliæ nummus ſub Licinio

Valeriano præferens nomen ΑΥΡ.ΔΑΜΑ , hoc eſt, Aurelii Damæ, ubi iterum Harduinus videt Damaſiam. At ipſe Horatius Damam quoque noverat. Quod ſi trium literarum lacuna eſt, in fabulis Græcis celebratur ΙΦΙΔΑΜΑΣ Buſiridis filius, ut id quoque ſit nomen. Adeo anceps eſt ſaxis nomina dare.





ARISTOMACHVS

Apum Speculator et amator

Apud Leonardum Augustinum in gemma Corniola.

ARISTOMACHUS.



IN hoc obſcurum incidit quoque vita hujus hominis ad Theſei imitationem æternum ſedentis in hac gemma & in ſubjectum alveare circumvolantibus apibus deſpicientis, quem Leon. Auguſtinus judicavit eſſe Ariſtomachum, quia hoc nomine vir ſapiens a Plinio memoratur duodeſexaginta annis nihil aliud egiſſe; imitaturque Bellorius tum in Philoſophorum imaginibus, tum in additamentis ad Symbolicam Dianam Epheſiam tab. VII. Et Plinius quidem in loco per Auguſtinum & mox Bellorium citato dicit fuiſſe Solenſem. Sed in libro XIII. cap. 24. dum ſcribit *Apes quoque nunquam deſore cytiſi pabulo contingente, promittunt Democritus & Ariſtomachus*, ubi paulo ante dixit cytiſum ab Ariſtomacho Athenienſi miris laudibus prædicatum; ſatis innuit Plinius etiam jure civitatis ab Athenienſibus donatum atque adeo celebrem fuiſſe. Simul quia apponit eum Democrito, ſubſignificare etiam videtur poſt eum viguiſſe, etſi forſan non diu; ut merito hunc locum ei tribuam. Etſi mirificus quodam modo videatur ille habitus nudi ſuperioris corporis inter volantes apes, manuſque ſiniſtræ impoſitio in caput pilis ſuis contra apes ſatis veſtitum. Non contigit mihi gemmam ipſam inſpicere. Certe tamen & frontem hanc animadverto varie effingi, & quanquam Auguſtino libet applaudere, vix poteſt eripi, quin hic conſpectus optime conveniat Sileno in fabula apud Ovidium lib. III. Faſt.

Ecce novæ coeunt volucres tinnitibus actæ,
Quaque movent ſonitus æra, ſequuntur apes.
Colligit errantes, & in arbore claudit inani
Liber, & inventi præmia mellis habet.
Ut Satyri læviſque ſenex tetigere ſaporem,
Quærebant flavos per nemus omne favos.
Audit in exeſa ſtridorem examinis ulmo,
Adſpicit & ceras diſſimulatque ſenex.
Conſtitit ipſe ſuper ramoſo ſtipite nixus,
Atque avide trunco condita mella petit.
Millia crabronum coeunt, & vertice nudo
Spicula defigunt, oraque ſumma notant.

Neque enim aſellus ſimul requiritur, quem idcirco faſtis illis & poemati reliqui, quum Silenus etiam ſine eo potuerit nemus omnes perquirere.




C MARCIVS CORIOLANVS
uxore deprecante reconciliatus patriae

C. MARCIUS CORIOLANUS.



Sic dum Græcia ſe armorum & ingenii laudibus extollit; Romana libertas jam hactenus ſtabilita ut magis divinitus retineretur, quam modeſtia & temperato ordinum jure, fines per Latium proferre continuis bellis nitebatur. Jam mirus invaſerat urbem Romam ardor cognominum vel quærendorum ex quibuslibet cauſis vel addendorum, jam tunc molles ad hanc rem auriculas illic ſupponente Horatio. Unde evenit, ut qui oppido expugnando operam præcipuam navaverat, etiam proprium & familiæ nomen tertio auctum geſſerit, Cajuſque antehac Marcius captum Coriolos oppidum induceret nomini, ut ſcribit Florus, & Coriolanus libenter audire voluerit, velut aſſiduam militaris virtutis admonitionem exoſculans; etſi Livius non illi, non populo id imputans, ſcribere maluerit ſimpliciter id ei cognomen poſtea fuiſſe. Hujus temporis memoriam iſto marmore cuſtodiri ſtatuerunt viri docti. Quippe vir laude bellica inſignis, ſed ferus & in civicis diſſidiis vix temperans ab hoſtilibus machinis, maloque & fame domandos inimicos quum cenſuiſſet, irritavit iram civium, cui & ſuſtinendæ invalidus & perferendæ impatiens, ad ſe ulciſcendum potuit hoſtium quoque implorare opem, niſi ab uxore fuiſſet mitigatus. Hanc enim videtur auctor hujus lapidis prætuliſſe, utpote prorſus viridem juventa, quum ex ſcriptoribus alii id attribuant matri, quam magno natu mulierem tunc vocat Livius. Quæcunque igitur illa virum torvo aſpectu & Martem ipſum paulatim exarmat.





CN DOMITIVS AHENOBARBVS
Claſſi præfectus

L. DOMITIUS AHENOBARBUS.




TA enim malo concipere prænomen, & in hanc quoque ætatem referre, quam cum Urſino intelligere proavum Neronis, cui prænomen Cnæo fuit, quod teſtatur Suetonius, & exhibetur in denarii uno latere. Unde etiam Gallæus ita inſcripſit, & eadem fide hinc commentatur Jo. Faber, idemque ipſe ſubſcripſi. Sed quum in ejuſdem nummi altera parte hic ponatur cum ſolo notabili cognomento Ahenobarbus; non tam videtur ille præfectus claſſis ſe ipſum curaviſſe exprimi, quam quidem auctorem ſimul gentis, ſimul cognomenti, tam mirabilem ob cauſam parati. Id quod inde fit probabilius, quod & ipſe Antonius in altero nummo fingitur imberbis, & conſtet Romanos tunc non aluiſſe barbam: unde nec Cn. Domitio placuiſſe jure credas. Itaque eſt hic ille Domitius ipſe, quem Suetonius vocat Lucium, cui rure quondam revertenti juvenes gemini auguſtiore forma ex occurſu ita permulſiſſe dicuntur malas, ut e nigro rutilum ærique aſſimilem capillum redderent. Hunc divinæ majeſtatis contactum commemorari in ſtemmate ſuo glorioſum erat, & ut in longiſſimum tempus fieret, ita triumvir monetalis vel ipſe vel quicunque alius aut amicitia aut uſu beneficiorum conjunctus perfecit. Deberi autem illi hunc locum, & fere, imo certe, ante Marcium, inde conſtat, quod Caſtorum ille occurſus contigerit poſt victoriam de Latinis & Tarquiniis teſte Plutarcho. Ad iſta Suetonii verba etiam Torrentius nummum illum advocavit, quanquam nihil ſpeciatim explicet. Et tum ipſe, tum Gallæus videntur voluiſſe accurate faciem iſtam exhibere, quum diligenter obſervant ſinum illum ab latere frontis nudum ac deſtitutum pilis, neglectum indecenter in Patiniana editione, ubi Urſinus & alii neſcio quam grandem curvaturam circa tempora concipiunt. Igitur & Muſei Romani auctor edidit hoc ſpecimen,



plane delirans ab vero. Propterea rem exiſtimans dignam hac temporis & hiſtoriæ luce, ut cujus quoſdam poſteros legimus

Romæ fuiſſe eximia certe dignitatum & virtutum ornamenta, is ſpectaretur integer ac ſine ulla fucati commenti nota; quam anxie potui, ex ipſo nummo meo hunc verum conſpectum frontis Domitiæ publicandum curavi.




L. QVINTIVS CINCINNATVS
armis se aptans.

L. QUINTIUS CINCINNATUS.



ON diu poſt multis & pro copia iſta magnis rebus geſtis inter ſummos honores eminuit in urbe Roma hic L. Quintius Cincinnatus; cujus idcirco memoria grata fuit poſteris & vario artis genere ſervata. Certe ſtatuam ejus in vinea Peretti dedicatam exſtare annotavit Cl. Sponius. Unde inductus Leon. Auguſtinus, & nactus hanc ſculpturam in onyce, ſub illo ipſo nomine publicavit. Ubi is conſpicitur, non qualis ſedit Dictator in foro & Servilio magiſtro equitum injunxit, ut ad ſe vocaret Sp. Mælium: ſed qualis ab quatuor jugerum aratro ad dictaturam reverſus in urbem, aptavit arma, & poſt loricam, galeam ac paludamentum induta, cum maxime ocreis inducendis occupatus eſt adfixa prope haſta vel belli, vel imperii ſigno, etiam adſtantibus clypeis rotundo & altero anguloſo ad columnam; unde etiam pharetra dependet. Ita certe intellexit vir eximius. Sed quum plures hujuſmodi occurrant gemmæ inſculptum habentes militem ocreis attrahendis incurvatum, qui Achilles eſſe poſt Patrocli mortem ex Homeri deſcriptione exiſtimatur; videndum, an non is ipſe nunc quoque exhibeatur: tanto probabilius, quod & columnæ cernatur impoſita urna, tanquam Patrocli reliquias continens, & apud Græcos etiam mos fuit, ut violenta morte defuncti ſepulchrum ſic adfixa haſta honoraretur, ut diſcimus ex Harpocratione in verbis ΕΠΕΝΕΓΚΕΙΝ ΔΟΡΥ.


AHALA
C. SERVILIVS AHALA
Sp. Melio interfecto Romae celeberrimus.

C. SERVILIUS AHALA.



UÆCUNQUE illa Quintii Cincinnati mentio evocat hunc C. Servilium Ahalam, quem ab eo postea Dictatore exacta ætate, & quod ſciebat, ob truculentiſſimam cauſam creato magiſtrum equitum dictum fuiſſe conſtat. Et vix liquide decreris, uter horum ad trepidas res in concordiam & quietem reſtituendas plurimum adjuverit. Sicut enim ſenex ille dictatorio jure & auctoritate ſola reverendus committere ſe foro & ad turbas excitis jam civibus, interque eos tribunal ponere & ſedere auſus fuit; ita hic dicto non magis illi audiens, quam contra vel minimam violationem ſuccurrere non dubitavit. Res certe obſervatu digna, & ad dictatoriam majeſtatem ac conſuetudinem conſiderandam efficax. Magiſter militum non lictore miſſo, ſed apparitore, ut diſerte vocat Livius, qui non modo vocandi jus haberet, ſed etiam arripiendi, ut duceret; nec tamen ultra; (nam quod agendum ultra reſtabat, ſciebat magiſter equitum, quid juris & muneris ſui eſſet) hunc dico apparitorem abigente factione Mæliana, ipſi Servilius auctorem turbarum in ea latitare conantem & ideo recedentem adſequutus obtruncat; non utique ſecuri, ſed gladio, (& confodiſſe hinc ſcribit Florus) ut hinc ſcias, non faſcibus ſed armis inſtructum magiſtrum equitum in urbe quoque inceſſiſſe. Tali modo civem indemnatum ac ſeditioſa ineſcatorum ad nefas & largitione corruptorum civium multitudine ſuccinctum occidere auſus fuit hic Ahala, ceſſitque impune, immo etiam honori, etſi quoque iram civium tamen in hoc incenſam fuiſſe memoret alibi Cicero. Hujus igitur ſtatua quoque ſi non publice fuit dedicata, utique in ſtemmate habuit Brutus poſterior, ut eam quotidie adſpici potuiſſe ab illo teſtetur idem Tullius. Hinc & ejus imago per nomiſma ad noſtrum uſque tempus propagata fuit, edita per Urſinum, Patinum & Caninum, ex quo hoc exemplum petitum. Sed nec ſcio cur diſyllabum ille cognomen fecerit, quum in argento ſint tres ſyllabæ, nec cur ipſum caput adeo rotundum. Sane etiam peſſime ediderunt duo priores. In Flori quidem nitida editione non intelligo, unde arrecti illi & exſtantes capilli ſint arceſſiti.




C. SERVILIVS AHALA
turbatae ab Maelio reipublicae vindex.


C. SERVILIUS AHALA.



TERUM enim vocandus ille ad partes, cujus constantiam in negligendo, quicquid etiam ab factiosis & turbulentis civibus commoveri aliquando adversus ipsum posset, admiratus fuit Romæ, quisquis libertatem patriæ ab insidiis & fraude tutam & immunem optavit, & præcipue summa ejus tutela Marcus Tullius. Hinc neque nos pœniteat duas tabulas impendisse, ut caveamus ne vel frons ejus violetur, cujus animum in ea velut metoposcopi cernere desideramus. Itaque quum sic fere rotundum caput ejus publicatum sit ab Canino, ut vidimus, cum nomine truncato: oblongius idem, prout fuit, ab Gallæo depictum exiit, sed nequaquam similitudine ad verum expressa. Istud grande spatium inter rugas, quas ad oculi canthum ex nummo accurate observavit, & capillum; iste sinus barbæ infra os pertinens ut inde versus malam illa ascendat, plane vitiant conspectum faciei hujus, & in ea consuetudinis per hæc tempora Romanæ. Ab ipso ore incipit maxima lanuginis densitas, omnemque inferiorem cutem habet obsitam, ut nihil ejus queat adspici. Sed & imam eamque magnam satis partem auris versus occiput nulli attingunt pili, in quo religiosius actum ab Canino. Hoc pacto lineas ducere tanti esse opinor, quanti parturire versus. Itaque ut tandem charta ad amussim simulet argentum Romanum, & verum Ahalam; quam fieri potuit per-




fecte anxieque exhibeo, tum illis, quæ dixi, sedulo curatis, tum pondere barbæ demissæ, tum capillo ad cervicem non descendente ultra os, ita ut ista bene sit nuda, quam prorsus non attendunt priores.




ISOCRATES
Suavi eloquio Græca Siren
Apud Magnum Etruriæ Ducem in marmore

ISOCRATES.



VERUM ab iſto horrido virtutis Romanæ cultu revertamur ad polita Græciæ pectora, quæ idcirco etiam numeroſiora. In quibus primas omnino tulit non modo ratione temporis, cum cujus lapſu decurrit hoc opus, ſed & laude ac præſtantia ſtudiorum hic Iſocrates; cujus eruditum os utinam modo adſpicere liceret! Eſt quidem ita, ut Achilles Statius hoc caput teſtatus reperiri in hortis Cardinalis de Medicis ita ediderit, unde imitati ſunt & Gallæus & Bellorius; verum monuerat Urſinus in præfatione hunc Iſocratem eſſe inter eos, quorum aliena capita non ſuis pectoribus impoſuerint. Idcirco quum de hac fronte nihil queam promittere; tum quoniam Herma cum literis nomen ejus ſervantibus exſtat Romæ, & ab Urſino non ſolum viſus, ſed & editus fuit, detur id Iſocrati, ut elogium ejus ex eodem hic quoque legi poſſit, quum & Faber & Bellorius in eo fuerint ita verſati, ut vix quidquam dicant, „quod non eidem referre acceptum debeant. Iſocrates, Theodo„ri filius, natus eſt Athenis, Lyſimacho archonte, Olympiade „LXXXVI. ſex annis, ut Diogeni placet, natu major, quam Pla„to. Audivit adoleſcens Prodicum Chium, & Tiſiam Syracuſa„num, nobiles tunc dicendi magiſtros; & in Theſſalia Leontinum „Gorgiam jam ſenem. confirmata autem ætate ad forum non ac„ceſſit, quod grandem, plenamque vocem, qualem ſubſellia deſi„derant, non haberet: tantum autem laudis cum in ſcribendo, tum „in docendo eſt conſecutus, ut ipſe eloquentiæ pater, domus au„tem ejus officina appellaretur. *primus enim* (ut inquit Cicero) *in„ſtituit dilatare verbis, & mollioribus numeris explere ſententias*. Ora„tiones ſcripſit permultas, ſed non omnes ſuperſunt. librum qui „Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo ætatis ſuæ anno „ſcripſiſſe dicitur, & quinquennium poſtea vixiſſe. alii vero cen„tum annorum numerum expleſſe tradunt. Sepultus eſt prope „Cynoſarges patrio monumento, variis tabellis exornato; e qui„bus unam Iſocratis ſepulchro ſuperimpoſitam fuiſſe, in qua poe„tæ, præceptoreſque ipſius, & Leontinus Gorgias, ſphæram in„tuens, ipſeque una Iſocrates ſcalpti eſſent. Plutarchus quoque „ſcribit, Timotheum Cononis filium Iſocrati præceptori ſuo, me„moriæ cauſa, ſtatuam æream Leocharis opus, in Eleuſine po„ſuiſſe: Apharetum autem filium æream ſimilem columnæ ſuper„impoſitam in Rheæ cognomento Olympiæ templo Athenis col„locaſſe, cujus in Atticis Pauſanias meminit. Erat autem Iſocra„tis imago Athenis picta in Pompio, & in Arce, ut idem refert „Plutarchus.



EVCLIDES


Philoſophus, Socraticus,

Ex numismate æreo in Thesauro Christinæ Reginæ Aug.

EUCLIDES.




ET jam ſpecta doctrinas Græciæ magis multiplices variaſque, certe poſt Socratis ſemina vel uberrimas, quarum inclitam unam condidit Euclides; tanto celebratiore fama, quod patriam ſubſannantium proverbiorum, etiam, ut quidam voluere, ipſorum oraculorum dicteriis vexatam ingenio ſuo illis exemerit. Hic igitur Megarenſis ex ſchola Socratis progreſſus, ſic ut Parmenideis interim quoque ſtudioſe attendiſſet; atque adeo melioribus inde ſcintillis ardens lucenſque pectus poſſidens, ſpecimina ſui præclara debuit exhibuiſſe. Etſi enim Diogenes Laertius ſatis brevi relatione eum tranſmittat; tamen ut morem docendi novum condere & ad ejus cultum trahere poſſet alios, eoſque ſingulari nomine ab tot jam introductis ſectis diſtinguere, id certe non tenuis & communi genere laborandi utens obtinuit, ſed admiranda ingenii ſolertia & ſedulitate. Itaque & nobilem Megaricorum diſciplinam Tullius ut opinor ex vero appellavit. Ipſe hinc etiam de bono pronuntiare auſus & illud UNUM vehementer inculcans, non ita id contemplatus eſt, ut non ſibi præcipue applicaret. Quod facile colligas, dum Plato & Socratici nefaria doctoris ſui nece perculſi & exemplum metuentes, hunc dicuntur elegiſſe, ad quem ſolatii vel ſecuritatis cauſa decurrerent. Talis Euclides ut laudem ab ſuis favoremque habuit; ſic certe meritus eſt, ut poſteritas eundem admiratione & plauſu proſequatur, ipſumque vultum grata recordatione adſpiciat: utque fieri poſſit, quantum ſcio, uni Bellorio debent literæ, qui nummum ab Angelono & aliis poſſeſſoribus ſuppreſſum, denique in cimelia Dominæ Chriſtinæ translatum ſic honoravit, quo inclitum hoc caput ita palliolatum (notabili, ut opinor, hoc ænigmate ſignificans illum ΕΓΚΕΚΑΛΥΜΜΕΝΟΝ ab Diogene Laertio memoratum & ab Menagio enucleatum) inde exceptum publicaret, etſi ipſo Euclidis nomine non adſcripto, ſatis tamen indicato per patriæ nomen, quum in altero latere eſſet figura gradientis.


ΓΛΑΤΩΝ
PLATO
Hic solus in Philosophia divini nomen, meruit.
Apud Fulvium Ursinum ex marmore.

P L A T O.




SED adeſt, ecce, ipſe Philoſophorum antiſtes ex magna concurſatione, quam juventus ferme errabunda per varia nunc corporis, nunc ingenii parerga egerat, forte temere in Socratis ſinum delatus, ut aliquid humano major præſtaret, fieretque ille Plato, quem nullus homo ſatis ſuſpexit, quod tamen certatim factum eſt. Hoc ille meruit iſta facundia, cui nonniſi fabuloſa origo adſignari potuit: hoc illa conjunctione omnium ſapientiæ partium non minus, quam decenti meditatione ſingularum: hoc illa poſt primum ejus admiſſum amorem immenſa profectione ad omnes terras aliqua ſtudiorum fama inclitas, ut nihil non audiret ſciretque. Sed quis exitus encomii mei fieret, ſi inciperet modo deduci? Etiam difficile eſt aliquid indictum proferre, quum tot de eo dicta ſint, & recocta reponere non libet. Sufficit ſcire illum Platonem eſſe, cujus eruditione repleta ſunt omnia; cujus ſtatuas & imagines amaverunt omnia. Ex iis quæ reliqua exſtant ad eum contemplandum, hæc collegi. Majus illud exemplum productum fuit primum ab Bellorio ex marmore, quod ait fuiſſe apud Fulvium Urſinum. Et ſane teſtatur quoque Faber exſtitiſſe in marmore apud Fulvium Platonis effigiem ſtupendi artificii. Id ſi ita eſt, miror cur ab Gallæo id non fuerit expreſſum, quam potius ex gemma ſarda ſive corniola, quam vocat pulcherrimam inſignis artificii, quam ab ejus tempore CL. annis Cardinalis Julianus Cæſarinus attulit ex Græcia. Sane illud tale ſyrma capillorum per cervicem tam longe dependentium dubito an habuerit Plato, etſi fuerit comatus. Utique in aliis non apparet. Cæterum Cl. Gevartius Platonem in marmore apud Fulvium Urſinum longe aliter pinxit, quod eſt in hac tabula num. 2. quum prius debeatur Canino, qui in eo



ſpectat luctantem; & id caput habuit quoque in corniola Cauſſeus, ſed abſque humeris: tertium Miſcellaneis Cl. Sponii; quartum ex gemma edidit ipſe Urſinus. Sed hæc illi. Nos quod poſ-

ſumus adjuvemus Platonem in ea parte, quam ex eo citavit Apulejus in pulcherrima Apologia, ubi poſtquam Caſaubonus ſine ullo fundamento inſerſit quædam ex Platone Græca, omnes editores ea imperitiſſime retinent, quæ nos ex membrana Medicea, qua nihil veracius, ita reſtituimus: *Ut qui hoc negotium ex lectione & æmulatione Ariſtoteli nactus ſim: nonnihil & Platone me adhortante*, *qui ait*, *eum qui iſta veſtiget*, ΑΜΕΤΑΜΕΛΗΤΟΝ ΠΑΙΔΙΑΝ ΕΝ ΒΙΩ ΠΑΙΖΕΙΝ. Hoc aureum ſupplementum deerat iſti incomparabili Apologiæ pag. 300. editionis Elmenhorſt.


ARISTIPPVS
Socratis auditor Voluptatis assertor,
Ex Corniola Apud Fulvium Vrsinum.

ARISTIPPUS.



EN gloriam Socratis! Hunc enim ut audiret, abſque Cyrenis navigavit Athenas iſte Ariſtippus. In quo condiſcipulatu ſicut familiaris illi Plato, ita poſt eodem tempore uterque adſecla Dionyſii. Sed ut pro ſeminibus inſitis plerumque fructum fert doctrina; ſic magna uterque differentia. Hic enim conſiderans nihil ſuum niſi præſens, diem induebat, quem cauſa poſcebat; imo varium in horas, modo præſentia convenienter diſponeret. Itaque omni colori aptus, & frequenter Socraten oblitus alia quædam præoptabat. Unde paſſus continua fere æqualium ſcommata, ita ſe ad retorquendum comparavit, ut vel præcipue agilis ad altercationes atque ingenioſiſſimus evaſerit, ubique in veterum ſcriptis commemoratus. Ad cujus faciei notitiam viros doctos duxiſſe notat Jo. Faber Pyrrhum Ligorium, qui ex marmore vultum deſcriptum habuerit cum illo nomine aſſimilem gemmæ Urſini, unde hic Ariſtippus exceptus fuit. In quo ſane cernis capillos magis arte quam ingenio ſuo ad ſpeciem flexos, ut agnoſcas hominem non utique Philoſophiæ, etiam Laidi ſe ornantem. Inter quæ diſciplinas etiam Grammaticæ non negligens, vocibus quoque Græcis ſuam vim deſcribere conatus fuit, cujus ſpecimen ſervarunt ſcholia ad Apollonium Rhod. II. 77. inter voces ΘΑΡΣΟΣ & ΘΡΑΣΟΣ [1]. quæ tamen ad verſus 332. ejuſdem libri notant iſtam literarum enallagen, etſi in alia voce, eſſe Doricam.

1. Θάρσος γὰρ τὸ εὔλογον, θράσος δὲ τὸ μετ᾽ ἰταμότητος. οὕτω καὶ Ἀρίστιππος ὁ φιλόσοφος.


ASPASIA PERICLIS
Socratis Magiſtra.
Apud D D. Rondaninos in Iaspide.

ASPASIA.




RÆCIA nunc latis finibus eſt terminata: unde ex Europa quoque oportet paulum excedere alorſum, ſi qua forſan illic memoranda ſuppeditentur. Hæc enim ætas quum ſit, qua in Perſis dominabantur Artaxerxes & Cyrus: præteriri nequit mentio Aſpaſiæ, tunc celebratiſſimi nominis & Græcæ proſapiæ, etſi fortaſſe jam ante circa Periclem (ad illum certe trahunt iſtam viri docti) narrari id oportuit. Eſt enim nota antiquariis ſculptura, quam vides, pri-




mo publicata ab Canino, ubi hanc quoque alteram profert, repetitaque ab Bellorio; nec ullus horum dubitat, quin hæc ſit ipſa Aſpaſia. Non multo diſſimilem edidit in Muſeo Romano Cauſſeus, ſed hærens Minervam an Aſpaſiam inſcribat; cujus exemplum vides amplioris noſtri angulo innexum. Sed Cl. Menagius in hiſtoria mulierum philoſopharum negat ſe videre, quomodo ΑΣΠΑΣΟΣ pro ΑΣΠΑΣΙΑ dici poſſit. Addit nomen illud virile nuſquam in veterum libris reperiri; quod ſi reperiretur, nomen fore viri, non mulieris. Quæ cenſeo veriſſima. Quid enim ille ſecundus caſus indicat aliud, quam nomen artificis? Prout Sponius in Miſcellaneis edidit tres gemmas cum nominibus, ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥ, ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ, ΝΙΚΩΝΟΣ: prout in hac altera apud Caninum legitur nomen ΑΠΟΛΛΟΔΟΤΟΥ. Talem crediderim fuiſſe gemmam Urſini, unde Hylam fecit Gallæus cum Fabro, quia inſculptum eſt nomen ΥΛΛΟΥ nempe cælatoris: quod tunc quum de Hyllo Herculis filio agi oportebat, obiter notatum nunc putavi occaſione data palam ſignificandum. Ita pulcherrimam iſtam Pallada Meduſæo capite etiam ſerpentibus armato inſtructam fecit ille Aſpaſes vel Aſpaſus talium artifex. Nam alterutrum vocabulum rectum eſt, nec cum Cl. illo viro libet cogitare ΑΣΠΑΣΩ. Multa equidem nomina fuerunt Græca, quo-

rum in noſtris fragmentis non occurrit uſurpatio. Satis eſt, quod in gemma veriſſimæ vetuſtatis exſtet; & in Polybio notus eſt ΑΣΠΑΣΙΟΣ.


M. MANLIVS
Capitolii servator

M. MANLIUS.


OTO magis quam re præſtari poſſe crediderim quod ſic promittitur. Labuntur quidem hi anni Romani, quos inſignivit Gallica expeditio ad incendium urbis uſque; & ſi diſceſſeris ab Camillo, nihil ea ætate nobilius nomine M. Manlii, quem in hoc geſtu videre ſibi imaginabantur, qui antiquas ſtatuas quondam ediderunt. Itaque ut res in Italia tunc geſtas memoremus, advocari forſan id nomen poteſt, & utinam quoque ipſa ingentis viri imago! Sed poſtea ſatis perceptum eſt nihil hic ad Manlium iſtum; ac potius exploratorem incurvari ſaxo ferrum exaſperantem. Ulterius perrexit Leon. Auguſtinus, ſtatuens eſſe Scytham acuentem ferrum ad pellem Marſyæ perſcindendam. Acumina cogitationum ſatis opportuna, ſed ex quibus me vix expedio. Scilicet quum Apollo tradit ferrum Scythæ, id ſupponi oportet adeo obtuſum fuiſſe ac hebes, ut prius debuerit acies ejus acrior reddi, adque eam rem illic fabulæ dicant appoſitos ſtatim fuiſſe lapides. Et cur mera acies ea non fuit, ut loquar cum Plinio? quum utique in gemmis, ubi fabula illa exhibetur, rem ſtatim aggredi videatur. Præterea aut aliud marmor ſimilem figuram referens habuit in animo, aut valde aliena cenſuit, quoniam prorſus non hac forma illud ferrum fingi ſolet, quod Scythæ ab Apolline præbetur. Et hoc quidem exemplum petitum eſt ex Jo. Baptiſta de Cavalleriis in Palatio Magni Ducis Etruriæ. Verum Perrerius ſimiliter ingeniculantem & longe alterius formæ ferro, imo fere cultro ſamiando intentum profert ex Hortis Mediceis. Quidquid ſit, Manlianum quidem aliquid non video; ſed hortulani alicujus nudi ex more ruſtico quaſi ligonem acuentis figuram.



ANTISTHENES

Princeps Cynicae sectae

Apud Laelium Pasqualinum in Amethijsto.

ANTISTHENES.



ÆTERUM non ſufficiebat Athenis gloria Platonici Lycei : illuſtre etiam fieri Cynoſarges non per Herculem modo in ſuburbanis agris debebat. Id potuit facere hic Antiſthenes, poſtquam aliis diu indulſerat, ſimul Socraten audivit, cum tota ſchola ad eum transgreſſus. Itaque & Socraticum appellat Plutarchus in Lycurgo . Nec tamen iſtam vitæ ac diſciplinæ ſortem adamans , mox peram , mox baculum, mox duplex amiculum uſurpavit. Hinc illa corpuſculi mirifica tenuitas & prærogativa tabis ; ſed in lætiſſima mentis mirabiliter ab eo per literas ΚΑΙΝΟΥ commendatæ agitatione, quam & repentinis dictis jaculando liberrime teſtatus fuit non ſine ingenti ſale , in quibus propterea ſicut placuit Diogeni Laertio laute luxuriari , ita alii libenter verſantur : atque interim vias novas de variarum rerum ſententiis etiam in philoſophia munire tentavit, præſertim ut fulgeret ΣΟΦΙΑ, ΠΑΡΡΗΣΙΑ, ΑΛΗΘΕΙΑ, ΑΥΤΑΡΚΕΙΑ, ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ, ut jactavit ejus ſchola , & ab multis enarrantur . Cujus magni hominis & Cynicorum patris hanc imaginem ſervavit amethyſtus ex dominio Lælii Paſqualini , cui ſimilem narrat Faber exſtitiſſe apud Fulvium , quam tamen hic non edidit.


DIOGENES CYNICVS
Dolio & fortunæ contemptu celebris .
Ex Bibliotheca Fulvii Ursini in marmore .

DIOGENES CYNICUS.



SPECIMEN hominis memorandum. Qui in ditiſſimo oppido educatus natuſque, prolapſus quacunque occaſione ad nefarium pecuniæ temperamentum, & ideo ſolum vertere compulſus, denique id quod tam male ceſſerat, non tralaticio odio pertæſus, ſimul ab ejus, ſimul ab omnium, quæ per id comparari ſolent, rerum, denique & ipſorum hominum, imo & ſacrorum uſu ſe ſegregavit. Hic enim eſt iſte Diogenes. Ille aliquamdiu ſedis incertæ poſtquam reperit Athenis Antiſthenem auctorem ſectæ, quæ ab ingenio ejus nequaquam abhorrebat, interiora & leges rimatus, nunquam deinde non dico patriam Sinopen, ſed ne alios quidem homines viſere dignatus fuit, aut pro homine ſe gerere; ſed dolio ac teſta in Matris Deum fano accepta uſus pro habitaculo in canis & nomen & indolem degenerare gaviſus eſt. Nam & latratu procace nunc ultro aggredi quemcunque, nunc reſponſi inſtar proſequi non cunctatus fuit, ut ſine diſcrimine quemlibet viliorem ſua fortuna crederet. Certe ſpecimina quæ plurima ſic placuerunt Laertio ut copioſe acervaret, ultra modum pronam ejus in talia mentem declarant. Ita quum circa Corinthum Cranio, Athenis porticu Jovis pro manſione uteretur; interim primordia Antiſthenis fulciens & docendi potens, quippe cujus ſermonibus dicunt vim illam ad-



fuiſſe, quæ ferme defigeret audientes (ιυγγα vocant, & ſingulari

cura habitum ab discipulis tradunt) valuit illa scita vel plurimum promovere, rumoremque nec eum sine laude nancisci, ut & plurimi se ad illum conferrent erudiendi causa, & cum Philippo, Alexandro, Antipatro, Euclide, Platone, Demosthene aliisque primarii nominis familiaritatem exercuerit. Unde seu ridiculi seu reverentiæ causa satis apparet quam plurimis cordi fuisse, ut Diogenem quoad possent haberent. Ex quibus residua ad nos pervenerunt ista quæ vides monumenta; quorum maximum testatur Faber ex marmore sculptum fuisse, & quidem ex indicio Gallæi apud ipsum Fulvium Ursinum, in quo Diogenem colligit ex pallio duplici superinjecto, ut ille ipse sit ab Horatio descriptus, quem *duplici panno patientia velat*, simile tegumentum præbente etiam nummo, in quo sedet cum hujusmodi pileolo rotundo Diogenes baculum velut clavam manu tenens hac scilicet in re Herculem imitatus ex observatione Theonis Sophistæ, scribentis imitatorem esse voluisse Herculis cum scipione obambulantem & quærentem quos reddere meliores posset. Hunc sedentem Diogenem exprimit posterius schema ex Alberti Rubenii de Re Vestiaria petitum, duplicem etiam pannum illic explicantis aliter. De reliquis ita habe. Prius petitum est ex Miscellaneis Sponii, qui non aliud de eo indicavit nisi esse marmor antiquum Romæ. Itaque debuit secundum apponi, de quo quum id ipsum dici quoque debeat, tum notavit Boissardus (nam ex eo simulatum est) servari in hortulo Palatii Carpensium hortorum, & quidem cum insigni varietate, quam non tango. Tertium est editum ab Leon. Augustino, deinde etiam addi suo Diogeni jussit Bellorius, qui Cynicum illic cum Cynico differentem dicit, nihilque præterea, Leonardo prorsus remisso & abhorrente ad istum alterum Cynicum vestigandum. Sed esse opinor Cratetem unum ex præcipuis Diogenis discipulis, cui ille persuasit, ut agrum compascuum consecraret, argentumque quod habebat in mare abjiceret. Reliqui duo sunt ab Achille Statio, qui edidit & priorem scribit exstare apud Achillem Maffeum; alterum in amphitheatro Vaticano. Verum in utraque Diogenis imagine notat Ursinus contigisse, quod veteribus quibusdam imaginibus, ut non sua nomina addiderint.




MARCVS CVRTIVS
Interpres ejus quo plurimum
Populus Romanus posset.

M. CURTIUS.



NSERAMUS etiam hoc Romanæ magnanimitatis exemplum, quod ſi Livium ſequi placet, jam ante oportuit conſpici. Interim inter antiquas ſtatuas congeſtas & editas ab Jo. Bapt. de Cavalleriis depingitur hoc marmor, quod in Capitolio ſervetur, ſub nomine Q. Curtii, quum nemo queat ignorare prænomen ab Livio datum Marcum. Scilicet quum anno urbis CCCXCI. incerta cauſa forum Romanum in profundam voraginem deſediſſet, nec expleri poſſet, niſi indicantibus Diis immitteretur in eam id, quo plurimum populus R. poſſet, idque cum denuntiatione, ſi rempublicam R. perpetuam vellent; hic juvenis bello egregius ſe peti judicans, equo quam maxime exornato inſidens narratur armatum ſe illuc demiſiſſe. Itaque & lacum Curtium ab hoc, non ab antiquo Tatii milite appellatum non quidem contendit Livius, quia id negat fieri poſſe: ſed tamen quum ſcribit lacus nomen inſignitius ab hac fabula eſſe, quum prodigii tanti procurationem iſtam tunc factam memorat, ſatis aperte mentem ſuam declarat: immo etiam quod eo anno iſta omnia contigiſſe dici memorat. Itaque ex ſententia Livii militem iſtum huc retraho, qui præmiſſa in voraginem haſta, quum jam equus prioribus pedibus nihil ſolidum & ſtabile calcaret, ornatus armis equeſtribus, ſed vere Romanis (ut marmoris hujus artificem cum Livio convenire ſcias) pronus inſilit. Ipſa galea prorſus Romanum equitem indicat.






ARISTOTELES
Peripateticorum Princeps.
Ex Bibliotheca Fulvii Ursini in marmore.

A R I S T O T E L E S.



GRANDIUS multo & mirabilius quid atque inſtar ſolis oritur in Græcia, & ipſa tunc ſtupente, & toto orbe poſtea ſemper ad id lumen converſo non ſine continuis doctrinæ ac ſapientiæ optatiſque auctibus. Ariſtoteles hic eſt ſupergreſſus omnia, quæ unquam Græcis contigerant. Veneratio æterna hominum, ſed doctorum, id teſtatur. Id firmat diſcipulus ejus Alexander primus dictus Magnus; poſt quem quum cognomen iſtud velut rapinæ expoſitum tot ſibi arrogarint Principes, quis ei fuit ſimilis? Id docet contemplatio admiranda rerum ferme omnium & maxime ſocietatis humanæ, quam nemo ſapientius adſpexit. Sed hoc agendum eſt. Illius incomparabilis viri duos Hermas quum inveniſſet Urſinus inſcriptum habentes ΑΡΙΚΤΟΤΕΛΗΣ ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ ΣΤΑΓΕΙΡΙΤΗΣ & ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ Ο ΑΡΙΣΤΟΣ ΤΩΝ ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ ΣΤΑΓΕΙΡΙΤΗΣ, ſed ambos ſine capitibus; caput, quod in ſumma tabula poſitum vides, cum illis edidit expreſſum e tabella marmorea, Neapoli Romam allata, & in Galliam deinde a Joanne Cardinale Bellajo translata, cujus antiquitatem notat & aliis rerum antiquarum peritis probatam, & inprimis Hieronymo Ganimberto, cujus apud ipſum auctoritas valuerit plurimum. Id caput videtur etiam depictum fuiſſe ab Gallæo, quia ſub num. 35. Faber id ipſum deſcribit commendatque ſatis copioſe. At num. 27. Gallæus finxit caput alterum, raſa ſcilicet barba, idque ipſum in ſequentibus ab Fabro pro veriore laudatur, ut ætate provectioris, quum raſura uſus fuit, atque adeo rejicit priorem vultum. Summopere in his turbavit Bellorius, ſuſtinetque ſcribere naſum pene aquilinum eſſe in ea imagine, quæ barbam habet eraſam; quod alieniſſimum ab vero. Cæterum priorem ex noſtris cenſet minime perantiquam, ſed inſigni mendacio ab aliquo hujus vel ſuperioris ævi ſycophanta ex ingenio effictam. Citat quoque alias ejus imagines, quas ego nullas novi. Hinc iſta facies electa quoque eſt ad Diogenem Laertium. Quidquid ſit, in ea non videtur ab Gallæo ſatis expreſſus ille ΜΙΚΡΟΜΜΑΤΟΣ, ut ſcribit eum fuiſſe Laertius; quum par plane ſit aliis. Etiam tot alios recenſet idem Laertius iſto nomine inſignes viros, ut illorum neuter potuerit fuiſſe noſter Peripateticus.



XENOCRATES
Continentiæ, ac Philoſophicæ frugalitatis fama nobilis.
In Aedibus Marchionis Fabritii de Maximis in marmore

XENOCRATES.




MAGNO iſti philoſopho non alius apponi debet, quam Xenocrates, quippe quem ipſe legatus ad Philippum Lyceo ſuo vicarium dederit, ac poſtea mutatis ſententiis negaverit ſibi tacendum eſſe, quum Xenocrates loqueretur. Itaque Academiæ præſes manſit in Platonicis doctrinis, quas in Lyceo Ariſtoteles ex ingenio & arbitrio ſuo tractabat; etiam Platone hos ita comparare ſolito, ut iners quid in Xenocrate agnoſceret, quod longe agilius appareret in Ariſtotele. Et certe apparet corporis rationem in Xenocrate fuiſſe ſegniorem aut utique non ita gratam pulchramque, quum mens tamen experimentis affatim grandibus & doctam ſe & ſanctam ſatis exhibuerit. De quo quum diu nihil publice notum reſtaret, niſi Herma capite abſciſſo; Cl. Sponius primus fuit, qui obſervatum Romæ caput hoc in ædibus Fabricii de Maximis cum aliis Miſcellaneis publicavit, poſtquam in itinerario notaviſſet hunc cum Theophraſto & Pyrrho in eodem palatio ſervari. Nec tamen hujus indicii gratiam ullam reddidit Bellorius, qui ſecundus id ipſum protulit, ex cujus exemplo inſertus eſt editioni Diogenis Laertii, ſed per ridiculam indecentiam ſubnexo titulo, qui ex truncato Herma refertur ab Urſino & Fabro, non qui ad Fabricianum ſpectat (neque tamen illic legebatur ΧΑΛΚΗΔΟΝΙΟΣ, ſed ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΟΣ, ut ab utroque eſt editum, male citante Sponio ΧΑΛΚΑΔΟΝΙΟΣ) quum certe deberet Sponius conſuli. Nam & nimis calvum finxit Bellorius, & angulum barbæ in mento velut per novaculam de induſtria factum impingit, & degreſſos ante aurem crines ab temporibus vane promittit. Talis ſi fuiſſet vultus Xenocratis, potuiſſet Gratiis litare. Sed alium illum & rudem oſtendit marmor, & ex marmore Sponius, atque ideo Sponianum Xenocratem appono,



ſimul cum altero, qui vehitur aſino, ubi pariter non valde gratam faciei prominentiam vides, ut recte cum agreſti Mario propterea ab Plutarcho compoſitum agnoſcas: cujus interim lauda-

tio plane ſingularis hic celari non debet [1], tantam venerationem virtutis Xenocratis fuiſſe gloriamque & celebritatem apud omnes, ut exiſtimaverint nec contumeliam eſſe, nec ſævitiam, neque iracundiam animis humanis innaſci ſolitam, quæ Xenocrate adſpectato ſolum, aut pudoris aliquid aut reverentiæ non ſentiret.

1. In Phocione. Τοσοῦτον ἦν ἀξίωμα τῆς ἀρετῆς τοῦ Ξενοκράτους καὶ δόξα καὶ λόγος παρὰ πᾶσιν, ὥστε οἴεσθαι μήτε ὕβριν εἶναι, μήτε ὠμότητα, μήτε θυμὸν ἐν ἀνθρωπίνῃ ψυχῇ φυόμενον, ᾧ Ξενοκράτους μόνον ὀφθέντος, οὐκ ἂν αἰδοῦς τι καὶ τιμῆς ἐγγένοιτο πρὸς αὐτόν.


ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΣ
ΜΕΛΑΝΤΑ
ΕΡΕΣΙΟΣ
THEOPHRASTVS
Peripateticvs ob Atticæ eloqventiæ ſvavitatem divinvs nvncvpatvs
In Aedibus Marchionis Fabritij de Maximis in marmore.

THEOPHRASTUS.



Hic enim ſæpe utriuſque antecedentis comes ſequi debet, vir ipſa facie venerandus, prout eam expreſſit Urſinus ex marmore Maximorum, ut ait, cujus veſtigia recte preſſit Bellorius. At quantopere hinc abſcedit imago ab Achille Statio edita, cum eodem literarum charactere, &, ut ſcribit, ſervata apud Horatium Maximum civem Ro.? Hanc ipſam tamen imitari maluit Gallæus, ut ſubſcribit, apud Petrum de Maximis in marmore. Quid quod etiam mirabilior Faber notat ob capilli & barbæ tonſuram perquam ſimilem eſſe Ariſtotelis imagini, a qua per omnia prorſus lineamenta diſſidet. Quæ quidem a me decerni nequeunt. Viderint alii. Verum ore inprimis ac doctrinæ ſtudiis in famam productus exſtitit denique ex Tyrtamo Theophraſtus is, quem hiſtoria ejus ab Urſino collecta optime deſcripſit, & ideo hic reponi meretur, dum Faber & Bellorius dicunt nihil, quod non inde correptum ſit. Theophra-
„ ſtus, patre Melanta natus eſt Ereſi, ſed Athenis vixit. itaque,
„ cum percontaretur ex anicula quadam, referente Cicerone,
„ quanti aliquid venderet, & reſpondiſſet illa, atque addidiſſet,
„ Hoſpes, non pote minoris; tuliſſe eum moleſte, ſe non effuge-
„ re hoſpitis ſpeciem, cum ætatem ageret Athenis, optimeque lo-
„ queretur. Audivit primo Leucippum, deinde Platonem, po-
„ ſtremo Ariſtotelem, cui Olympiade CXIV. ſucceſſit in ſchola,
„ duorum millium ad illum audiendum accurrentium diſcipulo-
„ rum frequentia nobili. Divinitate loquendi nomen invenit, ut
„ inquit Cicero, appellatuſque eſt ob id ab Ariſtotele Theophra-
„ ſtus, cum antea Tyrtamus vocaretur. Multa præclare ſcripſit,
„ ſed imprimis quæ extant, ſtirpium naturas, omniumque re-
„ rum, quæ e terra gignuntur, cauſas, atque rationes; Ariſto-
„ telem magiſtrum imitatus, qui animantium ortus, victus, &
„ figuras perſecutus eſt. Senex lectica ferri per urbem ſolitus fuit;
„ &, cum ad ætatis annum octogeſimum quintum perveniſſet,
„ ac labore aliquantulum ſuperſedere cœpiſſet, moritur extremis
„ his verbis, qui aderant, diſcipulos alloquutus: Injuſte fecit na-
„ tura, quod cervis, & cornicibus vitam diuturnam, quorum id
„ nihil intereſt: hominibus vero, quorum maxime intereſt, tam
„ exiguam vitam dedit, quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior,
„ futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina ho-
„ minum vita erudiretur. Hac habita ad circumſtantes oratione,
„ animam efflavit, & ab Athenienſibus magna frequentia (ut
„ Laertius ſcribit) eſt elatus. Fuiſſe dicitur Theophraſtus natu-
„ ra beneficus, & ſermone omnibus affabilis, ac jucundus, ſum-

„ maque imprimis præditus prudentia, atque Athenienſibus adeo „ carus, ut, cum ab Agnonide quodam, quod de Diis male ſentiret, accuſatus eſſet, parum abfuerit, quin accuſator ob eam „ cauſam illo ipſo crimine ſit damnatus. Quibus ſi placuerit addere, quæ inſtituit de eo conferre Iſ. Caſaubonus Vir Maximus in Prolegomenis ad Characteres Ethicos, magnam certe partem hujus Theophraſti bene noveris.



DEMOSTHENES


Ex Ciceronis Sententia Oratorum Graecorum omnium facile Princeps

Marmor Tarracone inventur

DEMOSTHENES.




ON mutavit hic quidem nomen, ut ille qui anteceſſit, nec in ipſa appellatione aliquid ſpecioſum prætulit; (quippe quam acceptam a patre cultrorum officina quæſtum ſectato retinuit filius in prima ætate pupillus) ſed tamen nullo genere minor ingenii vehementia & ſermocinandi vis exemplo Calliſtrati, quem perorantem audierat, incenſa, mox continuo ſtudio comparata & ab æmulis quoque agnita Demoſthenem comitata eſt. Platonis enim & Iſæi aliorumque doctrinis roborata tanto major fuit, quanto pretioſior & operoſior materia eam exercuit, nunc ſingulorum civium fortunis conſtituendis, nunc republica ipſa fundanda, modo vel univerſam complectendo Græciam. Hinc licet patrimonio etiam per fidem tutorum minus diligentem diſſipato deſtitutus, tamen non ſua tantum ætate ab gloria in cælum evectus eſt, ſed etiam ab omni poſteritate, quæ quum in reliquiis ejus vim eloquentiæ cerneret, tum Atticam ſemper potuit cognoſcere; ad quod unice nunc quoque ille ſtudioſos adjuvat. Sed hæc infinita ſunt; & quanta voluptas adfuit omnibus, ubi Demoſthenem laudare licuit, benigniſſimum facundiæ fontem? Neque vero minus cupide conati ſunt ſi non ipſum, certe illum amænum vultum & undique congruentem retinere in vita, ad quam deponendam compulerat eum Archias ab Antipatro miſſus. Qui propterea & in Græcia & in Romanis bibliothecis dedicatus ſatis frequens fuit, ſed execrabilis abolitio diruit & detraxit illinc omnem memoriam Demoſthenis. Quod mireris, una Tarraco interceſſit, ne penitus ex conſpectu eraderetur. Hinc enim in ſuburbano repertum in diſco marmoreo Antonius Auguſtinus narratur ab Fabro ſuppeditaviſſe eum Fulvio. Bellorius clypeum vocat. Quem vix video, qualem fingant, quum ex eo capitis vertex tantopere promineat. At vero editores operum Demoſthenis dictitant ſe quoque curaviſſe delineari iſtud ipſum marmor, ubi idcirco intra ambitum orbis contineri pectus caputque videas. Arbitrentur, quorum ea poteſtas eſt.


ΑΙΣΧΙΝΗΣ
ΑΤΡΟΜΗΤΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ
AESCHINES
Obgratiam,ac venustatem Sermonis Gratys suas orationes inscripsit

ÆSCHINES.


NEQUE enim debet in hac congerie disjungi ab Demosthene, quicum in vita toties comparatus fuit, eloquentiæ quidem pro facultate & causa opponens, sic tamen, ut illam actionem magni oratoris ex animo veneraretur etiam victus, cui sic nihilominus ex arbitratu Ciceronis aliorumque fuit proximus. Eo usque processerat Æschines ductu philosophiæ, quam ab Platone acceperat etiam ipse, accedente mox adjutorio seu Leodamantis seu Isocratis; uti quidem nonnulli: quum nec desint tradentes hanc vim collectam ab eo esse, dum inservit tribunalibus, ea occasione plurima huc pertinentia audiens nec minus multa legens. Quidquid sit, mox prætentans vires in scena & puerili ludo & multa alia varietate, denique ad rempublicam eas convertit, ita ut tantopere respiceret aulam Macedonicam, quam adversaretur Demostheni illibatam patriæ libertatem propugnanti. Hinc illa judicia Athenis contigerunt, ad quæ audienda & videnda ex Græcia omni concursus factos esse legimus. Itaque & honores collati, & tum legatus patriæ, tum Pylagoras creatus fuit, donec vertente fortuna coactus patriam relinquere, ut per Alexandrum reciperet, frustra Ephesum navigatione instituta post illius mortem quoque vel Rhodi vel Sami finitur. Apparet vero facies teres & bene compacta, ut inde & vox Æschinis facile colligi queat, qua dicitur fuisse ΕΥΦΩΝΟΤΑΤΟΣ: sed tamen apertus hic quoque & simplex vultus nescio quomodo pariter significat animum, ex quo processerunt ΑΠΛΟΥΣΤΕΡΑΙ ΑΙ ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΚΑΙ ΕΥΛΗΠΤΟΤΕΡΑΙ ΑΙ ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΙ, ut loquitur Dio Chrysost. orat. XVIII.



PHOCION ATHENIENSIS


Dux ſummus, ſummus Orator.

Cinguli apud D. Antonium Mariam Castiglionum.

PHOCION.



I ulla in his omnibus facies conſervari meruit, certe gratulandum eſt hanc Phocionis quoque fuiſſe reſtitutam. Cujus viri vita quum inciderit in triſtiſſimas Græciæ mutationes, non tam ex humanarum rerum incerto prognatas, quam civili inſania obortas; quis non miretur illam altitudinem, qua eas omnes ſuperavit? Vidit ille turbantem adhuc Græciam; vidit Philippum, Alexandrum, Antipatrum. Sed non illius aſtutæ fraudes, non alterius potentia, non tertii amaritudo ſpreverunt Phocionem. Unus hic ex Athenienſibus honeſtate ſola tam varios ingenio & inæquales principes potuit demereri, non minus quam ipſum populum Athenienſem plane non ſui jam nominis. Itaque dignitates & ſummas & crebras in patria belli domique feliciter ut ſuſcepit ac geſſit; ſic muneribus externis & liberalitatibus regiis, etſi largiſſimis, etſi ardore offerentium violentis, impetravit tamen ut non pateret. Quid dicam de præſenti animo, quem aſſidue etiam in repentinis caſibus oſtendit munitiſſimum? Incredibilia ferme ſunt, quæ congeſſit de eo Plutarchus. Sic ille ſcilicet audiverat Platonem & Xenocraten. Itaque ut eundem animum ſervabat comem ac benevolum omnibus, ita apparet perpetuo vicem patriæ ſollicitum, ſuſpenſum intentumque fuiſſe. Hinc enim illa mirifica perſeverantia in eodem vultu ſemper retento, quem non riſus reſolverit, non luctus contraxerit, ſed acri cogitatione Græciam complexus perpetuas mentis timidæ anguſtias & curas obductione illa fuerit confeſſus. Et certe id oculis noſtris declarat viva ſpecie hodieque hic conſpectus, quem alioquin ſatis congruum & conſummatum anxia laborantis Græciæ conſideratio ad quendam mærorem acerbitatemque traducit ac vultum manifeſtat ejus hominis, cui nihil eorum quæ fierent placeret, ut palam ipſe prodidit. Hinc eſt, quod gratias agi oporteat vel Cl. Bellorio, qui ex Cingulo oppido Piceni latentem produxit, vel Antonio Mariæ Caſtalioni, Viro Eximio, qui adeo ſuavem vetuſtatis operam cuſtodia ſua dignari voluit, ut ſic poſt patrem vulgo & olim & poſtea ignoratum ex Hermæ Fulviani inſcriptione ΦΩΚΙΩΝ ΣΟΦΙΛΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ reſtitutum, nunc quoque ipſe Phocion velut renatus poſſet adſpici.


EPICVRVS
Sectæ Epicureæ Auctor
Ex Cimeliarchio Clar. Viri Ericii Puteani.

EPICURUS.




UT Phocionem in Italia latentem & Urſino, illi ſtudioſiſſimo antiquitatum per eam plagam cognitori, ignoratum ſero demum revocavit Bellorius: ita & Epicurum, quum ſimiliter illic occultatum nequiviſſet deprehendere eximius ille vir, ante annos L. produxit Cl. Gaſſendus; non ex ſtatua, quam Romæ teſtatur ad ingreſſum interioris palatii Ludoviſianorum hortorum exſtare ab Naudæo indicatam; non etiam ex cimelio, quod ſcribit fuiſſe penes Gaſparem Monconiſium Lierguium Proprætorem Lugdunenſem; ſed ex gemma, quam habuit Cl. Vir Ericius Puteanus Lovanii. Et potuerunt omnes congruere, ut eandem ætatem referrent, & propterea iſto uno exemplo debeamus eſſe læti. Sine fraude tamen & publica & ſua ſequuturus fuiſſet morem Urſini non ambigentis tertio & quarto penicillo ejuſdem ſæpe capitis lineas ducere. Magis miror Bellorium quum tam conſpicuo loco eum demonſtraret jam Roma, tamen inter philoſophos nomen tantopere celebratum non admiſiſſe, negligentia dubium an indignatione. Hic certe deſiderari non debuit, & quidem in vicinia Phocionis, cui fuit plane æqualis; ut ſimiliter viderit omnia Græciæ, hoc eſt, ipſius humanitatis bona pedibus trahi, atque ideo laborioſe circumſpiciendum judicaverit, in quo acquieſcere poſſet homo; ad quam rem id elegit, quo & ab corpore dolor & ab animo perturbatio abigeretur. Hoc ille Gargettius in hortis reperire potuit, dum ab anno ætatis XII. aut XIV. incerta cauſa impulſus philoſophica verſare cœpit, diverſa præceptorum nomina adeptus, ſed quod conſtat, Democriti plurimum lectione commotus; ita ut denique pater veri ſalutaretur ille noſter diſtenta cute (quæ ſunt Sidonii verba) Epicurus. Sed hæc multis jam diſcuſſa.



MONIMVS
Philosophus Cynicus

MONIMUS.



SICUT illi Urſino non conſpecti poſt eum ſingularibus cuſtodibus ſe vindicant; ita hic quoque philoſophus uni ſe Baudelotio d'Airvallio debere hanc ſuam imaginem fatetur. Et fuit hujus temporis, quippe diſcipulus & ipſe Diogenis, quem illi Syracuſis nato frequenter deprædicabat Xeniades emptor Diogenis. Hinc quum eſſet inſtitor menſarii Corinthii, cupiens liberari ab hero nil niſi pecunias & lucra cogitante, ſimulavit inſaniam, menſamque evertit nummis projectis plane contra morem iſtorum hominum, ut ſervum vere inſanire tandem crederet dominus. At ille hunc argentarium cum Diogene mutans, Cratetis alterius Cynici aſſecla etiam factus, vir inſignis evaſit, adeo ut & ſcripſerit nonnulla, & Menander ejus quoque meminerit. Hæc ſola ſunt de eo reſidua, quæ ſervavit Diogenes Laertius, quum alioquin nec ipſum nominari, nec ſcripta ejus tangi ſciam, craſſiore obſcuritate eum abſcondente, quam Moſchiona.





ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ

MENANDER

Menander inter omnes novæ Comœdiæ Poetas facile Princeps.

Apud Fulvium Ursinum in marmore

MENANDER.



OTUISSET quidem anterior ſedes huic adſignari, utpote quum jam aliquamdiu floruerit: ſed tamen & huic articulo convenit, & utique Menander eſt, cujus nomen ubilibet tueatur facile locum & illuſtret. Quando enim veriora ſcripta ſunt, quam quum chartæ ediderunt Menandrum literarum ſubtilitati ſine æmulo genitum? Ea eſt confeſſio ingenua Plinii, qui plurimum hoc Menandro uſus fuit, ac fere vix potuit ſibi ſatisfacere in eo ex meritis laudando. Hinc enim evenit, ut rurſus ſcriberet magnum & Menandro in comico ſocco teſtimonium regum Ægypti & Macedoniæ contigiſſe claſſe & per legatos petito; majus ex ipſo, regiæ fortunæ prælata literarum conſcientia. Nec quiſquam ab Plinio diſſentit. Quam grate enim ab Gellio ſcribitur is ipſe humanarum opinionum vel peritiſſimus, aut aliquid Menandri de vita hominum media ſumptum ſimplex & verum & delectabile? Id non intelligo, qua ratione Harduinus in loco Plinii nominet Philadelphum Ægypti & Archelaum Macedoniæ. Qui duo utique non vixerunt ſimul, nec in ætatem Menandri inciderunt, quem ſub Ptolemæo Sotere natantem in Piræeo ſubmerſum dicit hiſtoria. Archelaus celebratur per Euripidem, cujus mors ab morte Menandri diſtabat annis CX. ex computatione Gellii. Hic igitur Menander acceptas doctrinæ primitias ab Theophraſto, ut teſtatur unus, quod ſciam, Diogenes Laertius, non in eadem tenuit ſublimitate, & Academiæ aut aliis Gymnaſiis dicavit, ſed ad ſcenam tam mirabili cum plauſu tranſtulit, ut nemo unquam melius, utque anno vitæ LII. dramata centum & quinque relinqueret, ſic compoſita, ut ſcena Romana ſemper inde partes petere concupierit, nunc per Cæcilium, nunc ſuum illum Terentium, vel dimidiatum Menandrum ideo dictum ab Horatio. Ac licet ea dramata in ludis exhibita non fuerint ab






brabeutis ſemper coronata, poſteritas judicandi verior laudibus &

 enco-

encomiis coronavit. Hinc & ſepulchrum Piræei loco celebri, & ſtatua in ipſo theatro. Hinc iſti tam læti verſiculi in Herma, quos credunt eſſe ipſius Æliani. Quod ſupereſt, vides tabellam rotundam in poſtico ejus, quod ab altero latere exhibebat Sophoclen, ut ſuo loco dictum. Porro quam aliam effigiem ſine nomine in marmore exſtitiſſe apud Urſinum notat Jo. Faber, eique junctam fuiſſe Sophoclis imaginem, eam hic primo loco adjunxi, cui appoſui ſpecimen Gallæi, ut cernas licentiam, qua ille non dubitavit vel remotiſſime delirare ab Urſino, nulla crinium prominentia frontem mediam ornante & diſtinguente; ne dicam nimis exhauſtum ſenectute illic prodi, quam nullam habuit. Plane autem non eſt, cur Bellorius hanc inſcriptionem, in qua totus Menander continetur, aboleri voluerit in ſuo Menandro, quam Urſinus ſervavit, præſertim quum pag. DCCCCXVII. vitioſe ſit ab Grutero edita. ΜΕΝΑΝΔΡΟϹ ΔΙΟΠΕΙΘΟΥϹ ΚΗΦΙϹΙΕΥϹ ΕΓΕΝΝΗΘΗ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟϹ ϹΩϹΙΓΕΝΟΥϹ ΕΤΕΛΕΥΤΗϹΕΝ ΕΤΩΝ Ν ΚΑΙ Β ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟϹ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΚΑΤΑ ΤΟ Β ΚΑΙ Λ ΕΤΟϹ ΤΗϹ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΤΟΥ ϹΩΓΗΡΟϹ ΒΑϹΙΛΕΙΑϹ.



PHILEMON
Comicus Poeta

PHILEMON.



ONVENIANT enim ſimul in chorum, quos ſæpe ſcena vidit ſimul docentes & de corona certantes, prout de Menandro & Philemone Gellius aliique referunt. Nec moretur nos patria diverſimode relata, ab Strabone Soli in Cilicia, ab Suida Syracuſæ. Certe enim Suidas in unam pericopen illic conjecit duos, ut patet ex diſcrepante mortis narratione. Itaque cenſuit etiam Lil. Gyraldus ex Apulejo tertium mortis genus ab utroque apud Suidam diſſentiens memorante. Menandro quidem hic multo felicior fruitus eſt & vita longa & gloria laboris, viditque ſæpius coronari ſua dramata. Et Quintilianus non dubitat ſtatuere eum prave ſui temporis judiciis prælatum Menandro ſæpe eſſe, uti credo, quia Menander ipſe ſcribitur ex illo quærentem dixiſſe, an non erubeſceret, quum vinceret Menandrum. Habet hæc ipſa Voſſius pater in ſcripto de imitatione. Sed profecto ignoravit Quintilianus, quæ poterint in agendo accidiſſe, ut judices de Menandro litem darent. Et utique qui conſenſu omnium meruit eſſe ſecundus (id teſtatur ipſe ille Quintilianus) interdum fit primus, quum Non poſſint primi eſſe omnes omni in tempore, ut judicabat in mimo Laberius. Certe excerpta ex Philemone apud Henr. Stephanum vel de juſtitia vel de cultu pietatis divina ſunt. De facie ambigitur. Pierius & Pyrrhus Ligorius narrantur ab Urſino vidiſſe imaginem, cui adſcriptum erat ΦΙΛΗΜΩΝ, & exſtitiſſe in bibliotheca Nicolai Cardinalis Rodulphi; nec tamen addit, an etiam ſimilis fuerit vultui illi, quem ex nummo Pompejopolitarum expoſuit. Is tamen cardo foret judicii, quum in eo nummo Chryſippum & Aratum cerni credatur. Urſinum ſequitur Jo. Faber, qui præter Hermen Tibure inventum & literas ΦΙΛΗΜΩΝ ΔΑΜΟΝΟΣ ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΣ, narrat eandem imaginem in cameo factam reperiri, non diſtinguens, utrum illam, quam edit ex nummo, an vero quæ erat in Herma. Primus ergo qui in hac facie Philemonem ſignificavit, fuit Leon. Auguſtinus, partis primæ numero XVI. eam exponens, quam vides majore forma nunc porrectam; nec tamen intelligo, qui iſtam dicat ſimilem illi, quæ eſt apud Urſinum, qui prorſus dedit Chryſippum, ut patebit. Et hanc tamen ſolam fidem affert. Huic poſtea ſimilem prompſit Theſaurus Palatinus, partibus bene congruis, niſi quod prominentia frontis naſo proximæ ſit effuſior, & tota occurrat amœnior, quam hic annexam vides.




ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ
POSIDIPPVS
Poeta Comicus
In Hortis Montaltis

POSIDIPPUS.



DHÆREANT his & pro meta hujus curriculi ſint duo conſpicuas ſane per imagines ad nos propagati, ſed quorum fata fuerunt magis ſiniſtra, Poſidippus nempe & Pytheus. Ille ſatis celebris inter antiquos nequivit tamen quidquam integrum ad hoc tempus promittere. Scripſerat ille quidem comœdias vel triginta, ut teſtatur Suidas, & ex eo retulerunt multi; ſed & particulatim in his numerat idem auctor fabulam nomine ΔΗΜΟΤΑΙ [1] ut certe hinc pateat exſtitiſſe. Quod quidem clarius patet ex Athenæo, ſimiliter octo vel novem comœdiarum nomina citante, ut ex illis partem aliquam proferat & quod præ manu habet firmet: atque adeo probæ notæ habitus fuerit. Nec pro vili jacuiſſe credi poteſt, qui vix triennio poſt Menandri mortem, quum adhuc adſuetæ eſſent tam polito doctori aures, potuit florere, ut idem Suidas fatetur. Itaque nec tralaticio ſtatuæ genere honoratus fuit; ſed fortaſſe qualis præſedit theatro, & actores exercentes vidit, ut animadverteret, ſi quid minus apte pronuntiaretur: quam ideo ſervatam in hortis Montaltis læti gratulamur.

1. In voce νεανισκεύεται.

Pag. 2 verſ. 16 conſectari, quum in arctum compellat nos non veterum negligentia, ſed temporis abolitio, teſtante Euſtathio ad Dionyſium ex Æliano apud Gades non anno ſolum, ſed etiam menſi exſtructam fuiſſe aram [1]. cui ſtatuam fuiſſe appoſitam ex more credas. Etiam

1. Αἰλιανὸς δὲ ἐν ταῖς περὶ προνοίας φησὶν, ὅτι ἐν Γαδείροις βωμὸς ἐνιαυτῷ ἵδρυται, καὶ μηνὶ ἄλλος, εἰς τιμὴν χρόνου βραχυτέρου τε καὶ μικροτέρου.

Pag. 7 verſ. 14 faciem earundem
Pag. 9 verſ. 11 Exſtat
verſ. 15 ſpectare
verſ. 16 *Cupido*
verſ. 29 verſuti
Pag. 10 verſ. 35 κόδρου δ'γ.
Pag. 18 verſ. 17 editioni, quum tamen ex tribus eorundem nummis coronatum exhibeat quoque Patinus
Pag. 19 verſ. 27 addito quinto
verſ. 30 denique octavum ſedentis
Pag. 21 verſ. 49 cap. XI. & ſimul ita teſtetur Homerum ΠΡΟΦΗΤΗΝ ΤΗΣ ΑΘΑΝΑΤΟΥ ΦΥΣΕΩΣ, ut loquitur Dio Chryſoſtomus. Harum
Pag. 24 verſ. 36 appoſitum cernimus hunc ipſum,



Pag. 27 verſ. 33 contigiſſe
Pag. 32 verſ. 5 liberaverit
Pag. 33 verſ. 9 Urſini, in cujus tamen prima editione de Alcæo quidem nihil exſtat, neque
Pag. eadem dele iſtud male fictum caput, & ſpatium ære hoc reple





Pag. 34 verſ. 15 quem Urſinus in indiculo & hinc Gallæus fuiſſe penes Cardinalem
verſ. 19 Hermæ vultus, niſi ſi in illo quædam ΕΜΠΛΟΚΙΑ celebrare ſupponatur more Græcorum. Certe

verſ. 37 ſedentem in eodem nummo Mytilenæo, unde vul-



tum Nauſicaæ produxit, & hæc ipſa eſt, quam vides, acriter ſcilicet exſultantibus Mytilenæis ob civium ſuorum utriuſque etiam ſexus celebratam mirifice indolem, quum prima iſtarum ſit donum Leon. Auguſtini. Quæ

Pag. 36 verſ. 19 conditorem

Pag. 41 verſ. ult. non admitterem. Sed & quum penes Urſinum foret gemma hujus poetæ vultum retinens, eum delineavit Cl. Gevartius, prout num. 2. hic cernitur. Et fortaſſe qui ab Leon. Auguſtino publicatus fuit numero xxv. partis primæ, ipſe eſt Anacreon quem vides hic repoſitum num. 3.

Pag. 45 verſ. ult. Sed quos tres illic animadvertis omiſſos nummos, in hunc locum conjeci; quum Heſperis ex primo tomo peti queat.








Pag. 46 verſ. 26 moneta primum cuſa eſſe, & ad exemplum primæ renovata, ipſum habitu Imperatoris

Pag. 53 verſ. ult. exiſtimaverint; & interim accipe pariter hanc ab eodem ſculpturam, ſed licet majoris laboris, ſic hiſtoriæ levioris.

Pag. 61 omiſſam illic quam tetigi, ex Geneſeva memoriam hic habe



Pag. 62 verſ. 34 autem Faber aliam

Pag. 63.

Pag. 63 verſ. 27 eſt editum, & in indice teſtatur apud ſe eſſe, quum Achilles Statius id ipſum quoque exhibens collocet apud Rodulfum Pium Card. Carpenſem e thermarum Titi ruinis, ut ferunt, erutum, & hic

verſ. 36 ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ. Sed & ideo vultus ille annotandus eſt, quod temere & cum errore ſit inſertus libro ſecundo Alb. Rubenii de re veſtiaria, ubi is agit de quatuor angulis veſtium, quos dicit conſpici in ſtatua Euripidis marmorea, quæ videri poſſit in prima editione imaginum Urſini. At caput hoc cum pectore deſumptum eſt ex ſecunda editione Gallæana, & ſtultum eſt in eo velle ſpectare id quod monet Rubenius. Statuam iſtam capite truncam retulit quoque Bellorius. Tertium

Pag. 64 verſ. 35 *regnabat*, Faber ita

Pag. 65 verſ. 12 urbs Heraclea inſulis

verſ. 40 hiſtoriam explentibus. Quæ vel ideo cognoſci debet, quoniam in hac amicitia earum urbium videtur reſidere cauſa, cur Anytus poſt improbum judicium Athenis Heracleam, mirum quantum inde diſſitam, mutaverit exilii cauſa, ut in vita Socratis refert Diogenes Laert. etſi male illic exceptus.

Pag. 67 fin. commentans. Statuam vero Alcibiadis Romæ in cornibus comitii poſitam jam bello Samnitico teſtatur Plinius libro XXXIV. cui non Socrates aderat, verum alter ex Romano judicio ſapientiſſimus Pythagoras. Sed & alias ab ſe viſas notat Dio Chryſoſtomus in Corinthiaca

Pag. 73 verſ. 28 *raphano volumen*. Neque enim vetat, quominus amor docendæ comœdiæ etiam cadat in eum, qui herbas ſcrutatur, & fortaſſis eum quoque librum verſibus conſcripſerat. Verum alia longe in iſto Moſchione cogitans Pet. Lambecius in parte ſecunda libri VI. Biblioth. Cæſareæ hoc Plinii teſtimonium refert ad æqualem ejus Moſchiona medicum, cujus ibi librum inſpicit, atque ideo longe diverſum ab noſtro poeta: quod ſicut disjicere nolo; ita dubito an talis hominis volumen iſta ratione fuerit Plinius citaturus.

Pag. 74 verſ. 44 ΔΑΜΑΣ ΡΟ. Talem vides in Inſcriptione Athletica apud Falconerium pag. 60. Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΔΗΜΟΣΤΡΑΤΟΝ ΔΑΜΑΝ. Talis

Pag. 76 verſ. 16 poſtea fuiſſe. Quem non intelligo, cur in hoc reſpuat originem aſſentationis familiaris, quæ cognomen hoc celebraverit, quum in Felice Sulla Magnoque Pompejo eam dubitans ponat præter vel militarem favorem vel popularem auram in fine libri XXX.

Pag. 82 verſ. ult. gradientis. Quum denique eodem, quo Bellorius, anno etiam nummus neſcio unde Hadriani perveniens in manum Cl. Sponii ſimul cum Miſcellaneis prodiit, vultum gerens etſi aliter adornatum, tamen non admodum hinc abludentem.

Pag. 85 verſ. 34 ΑΣΠΑΣΙΟΣ, quo etiam nomine notus eſt interpres Nicomacheorum.

Pag. 90 verſ. 32 nullas novi, ſi ab ea diſceſſero, quam libro II pag. 37 Bibliothecæ protulit Lambecius

Pag. 91 verſ. 23 ut non ſolum ab utroque illo eſt editum, ſed etiam ab Achille Statio, male

Pag. 93 verſ. 30 Clypeum vocat Bellorius, quem mireris cur nihil dicat de corniola vetere, quam poſſeſſam ab eo ſcribit Caninus inde edens hujus ipſius Demoſthenis effigiem, ſed ætate majorem & omnino diverſam etiam in veſtitu.

Pag. 94 verſ. 28 orat. XVIII. Itaque quum & ex ipſo vultus filo ſic agnoſcatur Æſchines orator, & in ipſo Hermæ titulo deſcribatur manifeſte filius Atrometi; omnino caveri oportet, ne cum Æſchine altero, ſed Socratico illo Philoſopho confundatur. Quod ſicuti non opinor ab ullo paulum attento fieri poſſe; ita nuper video libro II Diogenis Laertii, ubi Æſchinem Charini filium deſcribit iſtum philoſophum, hanc ipſam effigiem turpiter & abſurde inſertam eſſe & venditari pro eodem, ſcilicet quia eodem cenſentur nomine.

Pag. 100 verſ. 16 fatetur. Etiam quatuor aut quinque ſententias illi adſcriptas Henr. Stephanus inter Comicorum Græcorum ſententias edidit. In bibliothecæ Mediceæ pluteo LXXXVII. exſtat volumen continens fragmenta ex Poſidippo Comico de vitæ neceſſariis carmine Jambico: quæ an ſint eadem cum editis Baſileæ, neſcio. Itaque

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

B

C

Hyllus

INDEX RERUM

FINIS.




SPECIAL OVERSIZE
N
5610
G87
V.2
82-B
1304
GETTY CENTER LIBRARY

